DE

# LOGICA SPINOZÆ

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

PAUL LESBAZEILLES

PARISIIS
APUD LEOPOLDUM CERF, BIBLIOPOLAM
13, VIA MEDICIS, 13

MDCCCLXXXIII

# DE LOGICA SPINOZÆ

VERSALIIS
EX TYPIS CERF ET FILII
59, VIA DICTA DU PLESSIS

DE

# LOGICA SPINOZÆ

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

**PAUL LESBAZEILLES**



PARISIIS

APUD LEOPOLDUM CERF, BIBLIOPOLAM

13, VIA MEDICIS, 13

MDCCCLXXXIII

# DE LOGICA SPINOZÆ

---

## I

### DE LOGICÆ APUD SPINOZAM FINE ET NATURA

Antequam incipiamus Spinozæ logicam exponere, necesse est determinare quid sit logica, quas quæstiones tractet, quid nos docere profiteatur. Quomodo enim possimus, inter omnes propositiones quæ spinozanæ doctrinæ, amplissimæ scilicet et ditissimæ, summam constituunt, inter omnia quæ in ea et quæruntur et solvuntur, hæc demum dignoscere, quibus attendere et studere debeamus, nisi prius clare intellexerimus, quid sit ea, sive scientia, sive ars, cujus explanationem apud auctorem nostrum conquirimus, nisi noverimus de quibus loquatur rebus, quum loquitur de logicis? Secundo, logicam definire oportet, non

solum ut operæ nostræ materiam demus et terminos statuamus, sed maxime ut auctoris sententias earumque naturalem concatenationem comprehendamus, ut recte percipiamus, quo ordine et qua ratione logica problemata illi offerantur, datis disciplinæ principiis, quas relationes cum ceteris systematis partibus sustineant, quid postremo in hoc systemate valeant. Si enim, ut credendum est, logica vere genus philosophicum est, id est, certa interrogationum summa, quæ se ipsas mutuo explicant, patet naturalem earum ordinem non qualemcumque in quaque doctrina esse, sed contra specialem ac determinatum, prout illæ ad doctrinæ principia referantur. Est igitur, quod pertinet ad quemque philosophum, necessaria logicarum quæstionum series ; est certus, secundum quem collocantur, ordo ; est singularis, ex quo perspiciuntur et solvuntur, prospectus. Ita, non intelligi potest, quid sit auctoris logica, nisi sciatur quid sit ipsa logica ; nec percipere queas, quem locum quæstiones hac scientia implicatæ naturaliter in ejus systemate occupent, et cui communi centro aptentur, nisi cognoscas quid ea scientiæ pars sibi proponat, et quid universæ scientiæ conferat. Ergo, duplici ex causa, oportet logicæ brevem, sed claram definitionem statuere, priusquam exquiramus quomodo de hac apud Spinozam tractetur.

Hanc definitionem reperire, haud promptum esse primum videtur : est enim logica, sicut ceteræ philosophiæ partes, multarum interpretationum capax, eique diversissimæ definitiones et imponi possunt, et

a variis scholis impositæ fuerunt. Hoc autem notandum est, nos logicam non pro nostra parte, sed tantum quatenus ad spinozanam doctrinam attinet, definire velle; hoc solum nobis proponimus, illi generalem attribuere formam, cujus species sit singularis ea forma, quam apud Spinozam recepit : logicæ spinozanæ, non logicæ quæ per se est, nostra definitio accommodanda erit. Ita multo facilior fit opera nostra : quum enim logica secundum id tantum, quod ad Spinozæ doctrinam attinet, nobis definienda sit, possumus omnes definitiones omittere, quas scholæ dederunt, a quibus Spinoza plane alienus est, et hoc solum considerare, quod eam esse placuit huic philosophorum disciplinæ, cui noster auctor adhæsit. Non contendimus eos philosophos rectam logicæ definitionem dedisse; hoc tantum proferimus, quemadmodum illi logicam conceperunt, ita nos eam concipere debere, ut spinozanæ logicæ studeamus, et tali regula nobis utendum esse, ut hujus partes recte ordinemus. Breviter, ut auctorem intelligas, oportet ut res, de quibus tractat, ex eodem prospectu videas, atque ipse videt : num merito ex logica spinozana aliud peteremus, quam quod in ea auctor exponere suscepit ? num merito illam aliud esse exigeremus, quam quod eam esse voluit ?

Quæ autem est philosophorum schola, quam et sectatus est et illustravit Spinoza ? Sine dubio cartesiana : ita ut quis dicere potuerit, Spinozæ doctrinam nihil esse, nisi Cartesii philosophiam immoderate (imo, consequenter dixere nonnulli) explicatam. Præ-

cipue quod ad logicas quæstiones attinet, Spinoza merus est cartesianus, et omnes magistri sententias facit absolute suas. Ergo logicam secundum id, quod cartesiani sentiunt, apud Spinozam quærere debemus. Quid autem cartesianis logicam esse placuit? Hoc non opus est ex longinquo petere : nam responsio ipsi titulo inscribitur clarissimi logicæ tractatus, quem sæculum illud nobis reliquit : quem tractatum ediderunt viri non sane in verba Cartesii jurati, sed ipsius præceptis imbuti, ita ut eorum opus cartesianum sensum summa claritudine exprimat. « Logica » sive « ars cogitandi », inquit titulus : logicam igitur cartesianis placet artem esse cogitandi. Quam definitionem retineamus : eam postea distinctius intelligemus, ipso disquisitionis progressu clariorem factam ; jam autem satis lucida est, ut se ipsam summatim explicet, distinctamque ideam in nostra mente suscitet. Simus ergo hac enuntiatione contenti, quæ nunc plane nobis sufficit : nec pluribus argumentis constituto, logicam esse artem cogitandi, hac definitione muniamur, quæ inquisitionem nostram continuo reget, dum ei indagatio ipsa perpetuum erit commentarium.

## II

### PERFECTÆ IN DEO COGITATIONIS DESCRIPTIO

Quoniam logica definiatur : ars cogitandi, hoc primum illam tractantibus quærendum est, quid sit Cogitatio, idque, non in hoc sive in illo ente (exempli causa, in homine), sed per se et essentia. Ita perfectæ Cogitationis definitio, ejusque infinitarum proprietatum, naturalis evolutionis et absoluti ordinis determinatio, primam spinozanæ logicæ partem necessario constituunt.

Mirum forsitan primo aspectu videtur, philosophum ex initio in absolutum migrare, et, quid sit per se Cogitatio, ratione determinare, priusquam conquisiverit quid sit cogitatio humana, quæ sola, ut apparet, positivas notiones ad priorem concipiendam præbere possit. At nos pro Spinoza loquimur, ejusque assuetum ratiocinandi modum servare debemus. Is semper ex infinito ad finitas res, nunquam ex finitis ad infinitum, progreditur ; naturam ex Deo colligit, non ex natura Deum.

Itaque, hujus methodo plane consentaneum est sic procedere, ut supra diximus. Si vero nobis objicitur,

quod logicam in metaphysicam commutamus, quæstiones miscemus et genera confundimus, respondebimus hanc, quam ordine exponere conamur, logicam totam a metaphysica pendere, auctoremque nostrum æterni Entis idea quasi plenum esse, omniaque in absoluto et per absolutum contemplari, et finita infinito semper postponere, quasi res absolute prius sint, quam relative. Non solum igitur nostri juris, sed muneris est, hunc procedendi modum sequi, atque, ut sciamus quid in homine cogitatio esse debeat, primum, quid sit Cogitatio per se, determinare.

At Cogitatio per se nihil aliud est, secundum Spinozæ doctrinam, quam cogitatio in Deo : quid sit cogitatio in Deo, hæc est demum spinozanæ logicæ pars prima. Ergo, quid sit Deus cogitans, et quo nomine divina cogitatio vera sit; quas relationes absolutæ ideæ inter se sustineant; quis sit divinæ cogitationis naturalis ordo, ideoque absolutarum idearum æterna series : his quæstionibus respondere nunc Spinozæ incumbit.

Hoc præcipue faciet tribus sequentibus secundæ Ethices partis propositionibus : « In Deo datur necessario idea, tam ejus essentiæ, quam omnium, quæ ex ipsius essentia necessario sequuntur. » — « Idea Dei, ex qua infinita infinitis modis sequuntur, unica tantum esse potest. » — « Idea rei singularis, actu existentis, Deum pro causa habet, non quatenus infinitus est, sed quatenus alia rei singularis idea affectus consideratur, » et cetera. (Ethice, pars II,

propositiones 3, 4, 9). Quas propositiones nonnullis commentariis explanemus ; ostendamus quas consequentias involvunt, quod attinet ad relationes singularium idearum cum ipsarum logica in Deo serie, seu, quod idem est, ad relationes naturæ et Dei, sub cogitationis attributo consideratorum : atque ita absolutæ Cogitationis doctrinam constituamus.

Prima propositio significat omnem ideam per se absolutam et æternam naturam possidere. Quoniam enim est in Deo propriæ essentiæ idea, conjuncta cum omnibus ideis omnium rerum singularium quæ ex ea sequuntur, fit ut in Deo, atque in Deo solo, omnes ideæ, quatenus perfectæ et per se sint, versentur. Ita cunctæ ideæ infinitam essentiam obtinent, et veritas absolutam acquirit naturam. Non est idea singularis effectus, nec subjectiva realitatis effigies : est modus necessarius, extra contingentium animorum diversitatem situs, qui illius æternam essentiam in duratione tantum exprimunt. Exempli causa, circuli idea quam ego concipio, non est proprie modus meus atque extra me nullus : est contra unus ex absoluta idearum serie annulus, unum ex integra divinæ cogitationis summa fragmentum. Quæque idea, in loco suo posita, cum Deo ipso confunditur, quatenus per cogitationem exprimitur : infinitusque numerus singularium mentium nihil est, quam universæ Cogitationis effigies, ad infinitum diffracta.

Ita veræ ideæ, quarum nostræ tantum imagines sunt, in Deo existunt. Protinus, quæ sunt earum idearum relationes cum ipso Deo, seu cum Substan-

tia quæ illas sustinet ? Monstrat secunda propositio eas similes esse relationibus partium cum toto, sive notionum cum definitione. Etenim, quum Dei idea sit unica, atque in se omnium rerum ideas contineat, idea vero Dei non alia possit esse, quam Deus cogitans, sequitur omnium rerum ideas et Deum cogitantem, unum et idem esse. Sicut circulus non alius est quam ipsius proprietatum summa, et circuli definitio confunditur cum propositionum collectione, quæ has proprietates exprimunt, pari modo divina cogitatio eadem est, ac singularium cogitationum summa, quatenus logica ratione ordinantur, et in æternitate considerantur. Non concipiendus est Deus tanquam intellectus quidam, qui cogitationis modos extra se proderet, et ab eorum concatenatione distingueretur : mera Cogitatio est, id est, idearum necessarius ordo et rationalis collectio. Hanc idearum summam, quæ se reciproce necessarias reddunt, considera : Deum contemplaris ; summæ elementa disjungas, et fragmenta percipe : ideas vides. Hæc autem idearum a Deo distinctio arbitraria est et arte efficitur : re et natura, una est idea, quæ est idea Dei, sive Deus cogitans.

At, si ita est, quo jure logicam idearum seriem et dialecticum ordinem commemoramus ? Nullus ordo, nulla series esse potest, nisi quædam sit diversitas. Perfecta unitas non divisionem admittit, neque in ea fit ulla partium distinctio. Quomodo igitur ideas in Idea reperiemus? Nempe quod idea, quanquam unica, infecunda tamen non est. Idea, quæ est ipsius

Dei, quatenus intellectu præditus est, essentia, seu perfecta Substantiæ repræsentatio, in se necessario involvit quæcumque hæc Substantia continet, et in propria unitate infinitam hujus efficientiam includit. Quodcumque Deus extensus gignere potest, Deus cogitans potest repræsentare. Sic in divina cogitatione fit, non profecto realis divisio aut substantialis idearum distinctio, sed logica diversitas et modalis varietas, quæ, integra totius unitate, hoc tamen multiplex efficiunt. Possunt simul ideæ et distingui et ad unitatem reduci : distingui, quatenus Deus infinitis modis afficitur; ad unitatem reduci, quatenus in omnibus modis Deus idem substat. Sic Substantiæ unitate et infinitate absolutæ Cogitationi dialectica fecunditas additur. Sit Substantia infinita quidem, non autem una : jam nullæ inter ideas relationes, nullæ in mente rationes, nullæ in rebus causæ. Sit eadem una quidem, non vero infinita : jam nulla varietas ; pro multiplicibus ideis una, in qua vis mentis semel absumeretur, idea : tunc, sicut supra, neque rationes, neque causæ. Communi unitatis et infinitatis in Substantia præsentia datur mundo causatio, intellectui discursus.

Hæc singularium idearum in absoluta Idea generatio, atque idearum et Ideæ in Deo reciprocitas, in tertia propositione clarius etiam exprimitur. Qua ratione fit, secundum hanc propositionem, ideam talem aut talem in Deo esse, et propriam determinationem obtinere? Quid illius intelligibile esse statuit? Locus scilicet quem ea in logica serie occupat, fixus

ordo juxta quem naturaliter in divinæ cogitationis evolutione apparet, determinata ratio, ex qua Cogitationis attributum exprimit. Est igitur ideæ causa antecedentium idearum series, seu motus qui, ab idea Dei inchoatus, ad certam determinationem certo temporis momento pervenit, et intra certum modum ineluctabili necessitate quiescit. Sic idea quæque a tota idearum summa separari nequit : illam tolle, hæc non integra est, et rumpitur concatenatio. Rursus, sine antecedentium idearum summa, idea propriam existentiam amittit : non formari, non esse potest.

Ergo idea Cogitationi, Cogitatio ideæ necessaria est; modi et attributum se reciproce sustinent. Deus cogitans non distinguitur a logica idearum serie, quoniam ipse singularis ideæ causa est, non quatenus infinitus, sed quatenus antecedente idea affectus : quod significat eum ideas non ex nihilo creare et extra se producere, reservata ipsius intellectuali potentia, sed contra ipsum per ideas intrinseca lege evolvi, ita ut non alius sit, quatenus absoluta Cogitatio, ac illarum necessarius ordo. Deus cogitans : logica idearum series, definiri posset. Rursus, ideæ nullam propriam veritatem absque Deo, id est, absque dialectico ordine qui eas gignit et in certis locis ponit, possident : idea nihil est, nisi Ideæ momentum, et rationalis processus quasi statio. Sicut in syllogismo, quæque propositio omnem vim ab antecedentibus propositionibus accipit, ita in universa Cogitatione, quisque modus non verus est, nisi quatenus

e prioribus modis consequitur. Ut mundus rerum series est, quæ vicissim et causæ et effectus sunt, Cogitatio idearum series est, vicissim præmissarum et consequentiarum. Is igitur ideam gignit, qui ejus dat rationem : dum ratio non profertur, idea non esse potest; simul atque ponitur, idea necessario est.

Sic idea per idearum ordinem existit : ita ut ideæ et earum rationes solidum quid constituant, et in unum confundantur. Cogitatio quasi æternus est syllogismus, cujus elementa se mutuo ad infinitum gignunt : elementis progreditur deductio, deductionis progressu informantur elementa; et quæ relationes e tali reciprocitate sequuntur, hæ Cogitationis veritatem efficiunt. Necessariarum inter rationes et consequentias relationum æterna series : hæc est perfectæ Cogitationis adæquata definitio.

## III

### DE MENTIS HUMANÆ, QUATENUS IDEA EST CORPORIS, PERCEPTIONIBUS

Postquam determinatum est, quid sit absoluta Cogitatio, et per adæquatam definitionem concepimus essentiam, quam in nobis actualem reddere quæri-

mus, indagandum est quibus artibus hoc efficere possimus. Quomodo ideæ nostræ, contingentes et finitæ, perfectis ideis pares fient? Quomodo ista cæca, passiva et corporalis nostræ mentis modorum series, lucido illi, actuoso et intellectuali divinæ Cogitationis ordini assimilabitur? Hoc potissimum vult efficere logica. Sed priusquam definire suscipiamus, quibus artibus ad Cogitationem erigi possit homo, necesse est ut naturales nostri animi opes et varias percipiendi facultates quam diligentissime describamus : quis earum sit legitimus usus, quo cognitionis quæque progrediatur, determinandum est ; mentis vere intellectuales, et quæ ideas formare scientiamque constituere valeant, potestates a corporeis, quæ solum impressiones et imagines proferunt, instrumentis secernendæ sunt ; breviter, noscendum est quæ pars in nobis cogitet, quæ non. Censoria igitur animi humani facultatum disquisitio, quatenus nobis cognitiones præbere queunt, in hoc operis loco naturaliter ponitur, et spinozanæ logicæ secundam partem addit.

« Primum, quod actuale mentis humanæ esse constituit, nihil aliud est quam idea rei alicujus actu existentis » (Ethice, II, 11). Cui propositioni accurate attendamus : nam totam sensibilis animi doctrinam involvit.

Primo, in mentem revocemus, juxta principia spinozanæ philosophiæ, unam esse Substantiam, Deum scilicet, quæ per binas idearum et rerum series explicatur, atque unitate propria earum convenientiam

efficit. Si ita est, patet hominem, quatenus cogitat, non esse substantiam, sive ens per se, sed tantum certum unici Entis modum, idearumque seriei fragmentum. Cetera, quoniam idearum seriei respondet singularium rerum series, sequitur primum intellectualis nostræ essentiæ fundamentum, seu primum hujus catenæ annulum, qua constituimur, nihil aliud esse, quam ideam singularem, rem singularem repræsentantem. Ergo, si fingimus infinitam idearum seriem, et juxta hanc, infinitam rerum seriem, quam illa repræsentat, certo temporis momento, unus ex prioris seriei annulis non aliud erit, nisi nos ipsi; quum vero huic annulo respondebit quidam alterius seriei annulus, seu res singularis, primus nostræ mentis actus in idea rei singularis consistet.

Sic nascitur mens humana. Protinus, idea princeps quæ nos in existentiam profert, aliarum idearum seriem gignet, quæ temporale nostræ mentis esse constituet. Interea, huic seriei convenienter, fiet post rem singularem, cui respondit idea prima nostra, series aliarum rerum, quibus respondebunt subsequentes ideæ, ita ut ex binis seriebus, una alterius objectum, altera unius repræsentatio sit. Habebimus igitur, dum cogitabimus, objectum cujus modi nostræ mentis modis respondebunt : quæcumque in hoc objecto evenient, in nobis repræsentabuntur, sive, ut dicit propositio 12 : « Quidquid in objecto ideæ, humanam mentem constituentis, contingit, id ab humana mente debet percipi, sive ejus rei dabitur in mente necessario idea. » Quid autem est objectum

illud, vel hoc rerum seriei fragmentum, cujus mens nostra continua sit idea? Scilicet corpus humanum. « Objectum ideæ, humanam mentem constituentis, est corpus, sive certus extensionis modus actu existens, et nihil aliud. » (Ethice, II, 13). Ita, quod mentis nostræ evolutione repræsentamus, id est corporis nostri evolutio; nihil sumus, quatenus cogitantes, quam hujus idea, quod sumus, quatenus extensi. Mens humana : corporis humani cogitatio, recte definitur. Ergo, talis est animi nostri adæquata notio, quatenus cum corpore jungitur.

Ex hac definitione quædam proprietates sequuntur, quas necessario mens possidet : et sic nobis aperitur primus perceptionum fons. Hæ perceptiones quæ menti ex eo solo attribuendæ sunt, quod consideratur idea corporis humani, ad tria genera reduci possunt : 1° Mens percipit modos partium corporis humani, ac summa idearum, quæ hos modos repræsentant, constituitur ; 2° percipit corpora externa, quatenus proprium corpus ab iis afficitur ; 3° se ipsam percipit, eo quod corporis modos percipit.

Primum, quoniam quodcumque in objecto mentis, id est, in corpore humano, contingit, a mente percipitur, corpus autem humanum non simplex est, sed multiplex et innumeris partibus, seu, ut dicit Spinoza, individuis formatum, sequitur omnia, quæ in his partibus eveniunt, in mente repræsentari. Percipiemus igitur omnes motus qui fient in nostri corporis partibus : itaque, eo magis variæ erunt partes illæ, eoque plures modos a rebus externis accipient, tanto magis

varias impressiones sentiemus, tantoque plura percipiemus. Hoc exprimit propositio 14 : « Mens humana apta est ad plurima percipiendum, et eo aptior, quo ejus corpus pluribus modis disponi potest. »

Ex quo sequitur nostram intellectualem existentiam nunquam simplicem esse, sed semper compositam. Aliis verbis, certo temporis momento, idea qua afficimur nihil est, nisi collectio idearum omnium rerum quæ, eodem momento, in variis individuis contingunt, ex quibus nostrum corpus constat. « Idea, quæ esse formale humanæ mentis constituit, non est simplex, sed ex plurimis ideis composita. » (Ethice, II, 15). Hoc est igitur primum perceptionum genus : habemus ideas omnium modorum quibus afficiuntur partes nostri corporis, earumque idearum summa, idem est ac nos ipsi.

Sunt autem, inter modos quibus afficitur nostrum corpus, nonnulli qui pro causis habent res externas, quatenus nostrum corpus movent : ita ut eorum natura simul ex natura rerum afficientium et ex natura corporis affecti constet. Omni igitur motui qui, stimulantibus rebus externis, in nostro corpore eveniet, respondebit idea quæ, hujus motus naturam objective repræsentans, simul et naturam nostri corporis et naturam rerum externarum repræsentabit. Aliter, quum mei corporis modus pro causa habet concursum propriorum motuum et motus ab externis rebus suscitati, tunc idea talis modi non alia est, quam conjunctio mei corporis ideæ cum externarum rerum idea, et sic bina objecta simul repræsentat. Hoc pacto

queunt res externæ, tanquam objecta, meis ideis inesse : ita ut mens humana mundum extra corpus situm percipiat, simul atque hoc corpus percipit. (Propositio 17.)

His addamus, mentem ideas rerum externarum percipere posse, etiamsi hæ res absint, neque actu corpus moveant. Hoc fit quotiescumque, postquam corpus quodam modo per res externas affectum fuit, postea solidarum et liquidarum partium interna commixtione reciprocisque motibus efficitur, ut rursus existat in corpore similis modus ; nam, quum ita est, quæ idea prioris modi in mente semel fuit, iterum sponte sua producitur, et rei ipsius perceptionem nobis dat. Sic nascitur imaginandi facultas, cujus sunt effectus quasi renovatæ perceptiones ; sic quoque memoria, quæ est « quædam concatenatio idearum, naturam rerum, quæ extra corpus humanum sunt, involventium, quæ in mente fit secundum ordinem et concatenationem affectionum corporis humani » (Propositio 18), vel, brevius, quæ est series renovatarum perceptionum.

Denique mens humana, dum corporis sui affectiones percipit, idearum, quæ sic in ea fiunt, ideas etiam percipit ; nam objecti cognitio, atque hujus cognitionis cognitio, unum et idem est, neque hæc ulla est, nisi forma illius, quatenus per se et sine objecto consideratur. Nihil scire potes, quin scias te hoc scire : ergo, simul atque mens corpus aut res externas percipit, se ipsam percipientem percipit. Sic fit conscientia, sive sui ipsius cognitio, quæ neces-

sario cum cognitione modorum corporis jungitur.

In summam, ex eo solo quod mens humana corporis humani idea est, sequitur mentem humanam corpus humanum, res externas et se ipsam percipere. Qua vero ratione omnia hæc percipit ? Quid valeant illæ, quas sic de his objectis acquirit, cognitiones ? Num sunt adæquatæ notiones, per quas scientiam constituere merito speraremus ? Atque idcirco, num mens nostra, quatenus corporis idea, scire et cognoscere potest ? His interrogationibus ut respondeat, suscipiet Spinoza quasi censoriam disquisitionem harum, quas modo descripsit, percipiendi facultatum : iis commode principiis nisus, per quæ illas explicavit, determinabit quid polleant, et quo nomine illis fidere deceat. Concludet omnes cognitiones per has facultates obtentas necessario inadæquatas esse : ita ut, postquam ex definitione animi, quatenus is idea corporis est, data, monstravit eum corpus, res externas et se ipsum cognoscere, ex eadem definitione monstrabit eum inadæquate et corpus, et res externas, et se ipsum cognoscere.

Mens humana, ut diximus, corpus non adæquate cognoscit : hoc triplici argumento ostendetur. Primum, non habemus ideam adæquatam partium ex quibus constat nostrum corpus (Propositio 24); nam nullam cognitionem habemus earum partium, nisi quatenus proprios motus quibusdam modis inter se communicant, unde producuntur affectiones corporis : partes autem ipsas, quatenus individua sunt, quæ multis aliis modis affici possunt, nequaquam cognos-

cimus. Ex quo sequitur nos illas tantum sub certis conditionibus, et quatenus certos dant effectus, ideoque inadæquate, cognoscere.

Quod ostendimus de partibus, de corpore toto, in universum considerato, non minus verum est. Etenim, idea affectionis cujusdam corporis humani nihil, nisi hanc ipsam affectionem, repræsentat; corpus autem multarum aliarum affectionum capax est, quæ nequaquam in præsenti idae repræsentantur : ergo nullus mentis modus adæquatam corporis ideam involvit. (Propositio 27.) — Hoc bene notemus, demonstrationem sensim procedere, neque hac propositione idem enuntiari, ac supra, sed quid gravius pleniorisque sensus. Nam modo partes corporis humani, id est, non proximum mentis objectum, considerabantur; nunc agitur de corporis summa, id est, de præsenti et determinato mentis objecto. Sic intellectualis animi potentia gradatim minuitur : non solum in nostro corpore non cognoscimus, quod proprie nostrum non est, scilicet singulas partes, sed ne hoc quidem attingimus, quod mens jure possidet, scilicet partium collectionem.

Pergamus : si nostri corporis neque partes neque summam adæquate cognoscimus, ne singularium quidem modorum, quibus afficitur hoc corpus, ideas adæquatas habemus.

Hi enim modi naturaliter conjuncti sunt cum aliis ejusdem corporis modis, vel cum quibusdam rerum externarum modis, quorum ideas aut nunc non habemus, aut nunquam habuimus. Itaque nostri corporis

modos non percipimus, nisi dispersos et quasi laceratos : in nostram conscientiam nunquam proferuntur, nisi a propriis causis separati, et ab antecedente serie avulsi ; sunt « consequentiæ absque præmissis (Propositio 28) ». Ita hoc primum negative concludemus : mens corporis humani neque partes, neque summam, neque singulos modos adæquate cognoscit.

Quomodo igitur mens corpus, cui conjungitur, cognoscit ? Neque ejus intrinsecam naturam, neque continuam modorum seriem percipit, sed tantum hos modos, quatenus singillatim existunt. Quoque temporis momento, nostrum corpus quidam effectus est, nostra mens, hujus effectus idea : ut hunc effectum adæquate, id est, per causas cognosceret ea, necesse esset ut harum causarum idea fieret, scilicet aliud, quam idea effectus, quem hæ causæ producunt. Itaque nos, eo ipso quod talis effectus idea sumus, effectum solum cognoscimus.

Quum nostrum corpus non, nisi inadæquate, cognoscimus, necesse est ut res externas inadæquatis quoque ideis percipiamus. (Propositio 25.) Etenim, quum ideæ, quibus res externas percipimus, nihil sunt, nisi ideæ modorum quibus afficitur nostrum corpus, moventibus id externis rebus, hi vero modi nostri corporis naturam involvunt cum rerum externarum natura conjunctam, sequitur perceptionem nostram esse ideam mixturæ cujusdam inter essentiam corporis humani atque essentiam rerum externarum, neque ideo simpliciter et adæquate hanc essentiam repræsentare. Itaque mundum extra nos

situm non aliter percipimus, quam per nostrûm ipsorum mediationem, nihilque de eo scimus, nisi quomodo nostri corporis partes afficiat. Ex quo hanc secundam conclusionem negative colligemus : mens humana res externas non adæquate cognoscit.

At saltem, num nos ipsos adæquate percipimus, dum singulos corporis modos sentimus? Nequaquam : etenim, quum idea affectionis cujusdam corporis humani adæquatam corporis cognitionem non involvat, necesse est eam adæquatam mentis cognitionem non involvere ; nam mens, quatenus certus modus, una cum corpore datur. Itaque hujus ideæ idea, seu perceptio reflexiva, qua ideam affectionis corporis nostri sentimus, quæ, ut monstravimus, unum et idem est, atque idea prior (cujus forma est sine objecto), adæquatam animi cognitionem involvere nequit ; nec, dum mentis nostræ modos percipimus, nostram essentiam cognoscimus. Tertiam igitur negativam propositionem enuntiemus : mens humana se ipsam adæquate non cognoscit. (Propositio 29.)

Qua autem ratione nos ipsos percipimus? Nulla, nisi prout affectiones corporis nostri percipimus : quum enim certam corporis affectionem sentimus, nos hanc sentientes sentimus, neque nihil ultra. Te cognoscis, cognito quod corpus tuum cognoscis. Nihil est igitur conscientia, nisi sensatio reflexiva, seu perceptio se ipsam percipiens, non egressa mente e datis actualis modi terminis.

Ita, ut colligit auctor, neque nostrum corpus,

neque res externas, neque nos ipsos adæquate percipimus. Quas horum objectorum habemus ideas, omnes mutilatæ sunt et confusæ (quatenus, notandum est, sensibiliter illa percipimus, et homo cogitans tanquam idea corporis definitur), neque idcirco materiam scientiæ præbent. Quid tum? Num philosophus dubitatione plane obruetur, veritatique omnino renuntiabit? Non ita est; neque aliud vult præcedens investigatio, quam nos ad veri cognitionem præparare, nobisque viam monstrare, qua recta pervenitur ad hanc, ita ut mendaces animi facultates relinquamus, quæ nos inter confusa et obscura retinent, et veridicis utamur, quarum opera in regionem clararum et distinctarum idearum transmigremus.

Etenim, quod perceptionum genus adhuc disquisivimus? Quæ est ista corporis humani, rerum externarum et humanæ mentis cognitio, quam inadæquatam necessario esse ostendimus? Scilicet sensibilis cognitio, quæ ex mente consequitur, quatenus est idea corporis. Mens confusas ideas habet, « quoties ex communi naturæ ordine res percipit, hoc est, quoties externe, ex rerum nempe fortuito occursu, determinatur ad hoc vel illud contemplandum »; sed, « quoties interne, ex eo scilicet quod res plures contemplatur, determinatur ad earumdem convenentias, differentias et oppugnantias intelligendum » (Propositio 29, in scholio), claras ideas format et veritatem attingit. Sunt igitur, juxta percipiendi facultates quæ ex priore mentis definitione se-

quuntur, juxtaque cognitiones quæ ex iis procedunt, neque aliud sunt quam subjectivi corporalium motuum aspectus, aliæ sciendi potestates, aliæ cognitiones quæ ex actuosa et rationali mente defluunt, propriis legibus et interno progressu utente, et quæ objectis vere adæquantur. Quum igitur Spinoza nostras ideas mutilatas et confusas esse declarat, has tantum designat, quæ modos corporis sequuntur et in nobis ex ordine physico eveniunt, non autem illas, quæ in Deo resident, et quæ reperiuntur dum intellectum nostrum sub lege veritatis explicamus.

## IV

### RATIONEM UNICUM VERITATIS FONTEM ESSE

Sic ab animo sensibili, qui est idea corporis, philosophus ad animum rationalem, qui est idea Dei, progreditur. Ex prioris animi definitione, per physica et mechanica principia generati, colligit talem animum nullas ideas habere posse, nisi confusas et inadæquatas : ex quo concludet alterum esse animum, qui claras et adæquatas ideas concipiat, qui cogitet et sciat. Quis enim magis persuasum habeat,

esse veritatem, esse scientiam, ideoque esse in nobis facultates, quibus eas attingere valeamus, quam ille qui universum rerum ordinem ex ideis claris deducere, et mundi progressum ex propriæ mentis progressu determinare contendit ? Ita, nimium malum curationem adducit : postquam mens humana abjecta est, illique omnis adæquata cognitio omnisque spes sciendi ablatæ fuerunt, revertitur subito philosophus, rursusque profitetur mentem humanam, quum reipsa veritatem cognoscere possit, non totam a se descriptam fuisse, nec plane definitam. Insunt igitur mente humana aliæ facultates, quas adhuc neglexímus ; nihil est prior ista mens, nisi mens corporalis, hominis proprietas, quatenus in rebus versatur ; huic additur mens divina, hominis proprietas, quatenus in Deo est. Puram ergo regionem jam introibimus, ubi cognoscitur et cogitatur.

Ut a mente corporali usque ad mentem rationalem nos transferat, utetur logicus auctor quasi medio termino : considerabit enim universalem sensibilis perceptionis formam, id est, temporis notionem, monstrabitque veritatem necessario extra illam sitam esse. Nostri corporis durationem, inquit, non nisi admodum inadæquate percipimus ; nam hæc duratio ex communi naturæ ordine dependet, quem ordinem non cognoscimus. Quoniam autem nostri corporis durationem non adæquate percipimus, neque res externas sentimus, nisi quatenus nostrum corpus afficiunt, harum quoque rerum durationem inadæquatis ideis percipimus. Itaque omnia quæ du-

rant, id est, quæ sub temporis conditionem cadunt, non aliter quam confusis et mutilatis ideis cognosci possunt. (Propositiones 30 et 31.) Temporis regnum, regnum erroris : ut verum invenias, oculos a durantibus rebus abjice, et eos ad incorrupta et æterna erige. Tempus tollatur : manebit Deus.

Postquam in æterni regionem ingressi erimus, hic nihil nisi veritatem et claritatem inveniemus. « Omnes ideæ, quatenus ad Deum referuntur, veræ sunt. » (Ethice, II, 32.) Quid significat hæc enuntiatio, nisi cunctas cognitiones, prout in ratione versantur, integras et veras esse, cunctasque ideas, eadem sub conditione, objectis adæquari ? Sicut omnia obscura et falsa in sensibili mente erant, omnia clara et vera in rationali mente fiunt. Veritas omnino huic menti objicitur, veritatemque cogitare, unicum munus habet. Quoniam igitur idea, per se, mera veritas est, sequitur omnem ideam intactam, quæ ex nulla parte deminuta est, necessario veram esse. Ideas autem falsas ex pura Cogitatione procedere, nullo modo fieri potest : idea falsa est quasi alienata a se ipsa idea, et, ut ita dicamus, aliud quam idea partim facta est ; neque ullam ob causam in mente apparet, nisi quia est in animo, juxta intellectum, qui ideas integras format, altera pars quæ illas mutilat. « Nihil in ideis positivum est, propter quod falsæ dicantur. » (Propositio 33.) Ergo semper error defectum aliquem, absentiam cognitionis pro causa habet ; non cognoscitur falsum, sed aliquid in vero non cognosci potest ; ignorat, qui errat. « Falsitas

consistit in cognitionis privatione ». (Propositio 35.)

Sic definita veritate, nobis determinare licet, quæ genera notionum necessario cum hac definitione conveniant : ex quibus notionibus haurietur scientiæ materia. Ad tria genera Spinoza reducit eas notiones, quæ absolute et per se, ex ipsa objecti natura, adæquatæ sunt. Primum genus comprehendit notiones omnibus rebus communes, seu universales existentiæ formas, seu denique puras rationis veritates. « Illa, quæ omnibus communia, quæque æque in parte ac in toto sunt, non possunt concipi nisi adæquate.» (Propositio 38.) Etenim, quod commune est omnibus rebus, hoc semper in omnibus sibi ipsi constat, neque aliud fit in iis, aliud in illis ; ergo ubique per intrinsecam essentiam repræsentatur, id est, ab adæquatis ideis, neque usquam falsitati locum præbet. Breviter, universale omnibus ideis objective inest, quia omnibus rebus formaliter inest ; singularia tantum, quatenus in rebus formaliter aut sunt aut non sunt, in mente objective aut non esse aut esse possunt. Ita, cognitionum necessario adæquatarum primum fontem nobis præstant universales rationis veritates.

Præter puras rationis notiones, absque ulla cum sensibus mixtura consideratas, sunt etiam aliæ, quæ objectis necessario adæquantur, notiones. Nam ipsa corporum perceptio, certis sub conditionibus, tales notiones præbere potest. Quæ vere in perceptis corporibus cognoscuntur, ea sunt proprietates quæ, dum omnibus corporibus et nostro ipsi communes sunt, omni perceptioni semper implicantur, et sic uniformi

modo repræsentantur. Etenim, quoniam mens humana idea est corporis humani, omniumque modorum quibus id afficitur ab externis rebus, sequitur certam essentiam, quæ simul et humano corpori et afficientibus corporibus inest, in omnibus corporis humani modis necessario existere (qui modi nihil sunt, nisi proprietates humani corporis cum proprietatibus ceterorum corporum conjunctæ): ita ut mens, dum omnia percipit, hanc essentiam objective cognoscat. Sic fiet hæc essentia notio communis, ens in omnibus rebus, quarum ideas habere possumus, præsens, itaque cognitionis veræ objectum. (Propositio 39.) Ita, universales corporum proprietates secundum idearum necessario adæquatarum genus constituunt.

Postremo, omnes ideas, quæ ex præcedentibus notionum generibus colliguntur, necesse est etiam adæquatas esse ; nam omnes præmissarum proprietates in consequentiis rursus existunt. Constat igitur tertium cognitionum adæquatarum genus ex omnibus notionibus quæ, sive ex puris rationis veritatibus, sive ex universalibus corporum proprietatibus, demonstrative sequuntur.

Hoc pacto Spinoza scientiam gradatim recreat, et menti nostræ hanc cognoscendi potentiam reddit, qua eam plane destituerat. Jam triplici fundamento nitimur, ut ad veritatis cognitionem erigamur ; jam triplex idearum fons, ex quibus mundi ordinem determinare queamus, nobis aperitur : tum absolutæ rationis veritates, quæ cuncta entia informant et cunctos cogitationis progressus dirigunt ; tum uni-

versales corporum proprietates, quæ, etsi per sensus noscantur, tamen. quum omnibus perceptionibus implicentur, haud dubia veritate præditæ sunt ; denique omnia quæ ex his notionibus ad infinitum sequuntur. Hoc est legitimum mentis objectum, hæc propria scientiæ materies.

Philosophi igitur munus est, scientiam ex his notionibus struere : quæ notiones viliores quidem videntur, si numerus consideratur, maximi autem pretii, si summæ claritudini attenditur, qua nobis apparent, amplissimæque fecunditati, qua infinitam consequentiarum seriem progignunt. Ergo ad proprium intellectus dominium, simul atque illas agnovimus, accessimus ; neque, si primo aspectu sensibilis, quem reliquimus, ordo plenior et ditior, quam hic novus, visus est, diu in tali errore manebimus. Nam brevi intelligemus, quam multa et quam magna mens, juxta hunc ordinem procedens, reperire habeat, quot claras et distinctas ideas, principales illas notiones explicando, formare possit : retrocedent ante oculos Cogitationis termini, simul atque progrediemur, et prima idearum simplicitas in immensam cognitionum compositionem convertetur. Tunc manifesto apparebit, in hac regione sola intellectum objecto occurrere, quod ipsius perfectæ claritati et infinitæ potentiæ adæquetur.

## V

### QUÆ SINT NOTIONES COMMUNES : NUM SPINOZA NOMINALIS AN REALIS FUERIT

Prius autem quam longius procedamus, necesse est has communes notiones, quæ scientiæ initium statuunt, iterum considerare, et quam summa diligentia ostendere, eas objective valere et res veras repræsentare, ne confundantur cum aliis quibusdam notionibus, quæ nihil extra mentem significant; monstrandum est illas non imagines et signa esse, meras intellectus fictiones, sed veras ideas, quæ res positivas pro objectis habent. Sic disquirere habebimus, Spinoza realisne an nominalis fuerit, et duos contrarios sensus, quos forsitan in auctoris nostri propositionibus notaret lector parum attentus, ad unitatem reducere.

Hæ rationales ideæ, plane adæquatæ, quas ex tribus fontibus modo deduximus, radicitus distinguuntur, etsi superficialis quædam similitudo inter bina notionum genera videatur esse, ab iis notionibus, quæ universales seu transcendentales vocantur, et quæ nihil sunt, nisi compendiosa signa quibus ante-

cedentes perceptiones summatim recolliguntur; e quibus notionibus pro exemplis dari possunt : homo, equus, aliquid. Hæ nequaquam veræ sunt ideæ, id est, conceptiones realia objecta extra nos significantes ; sunt tantum prioris experientiæ reliquiæ, in memoria depositæ, et certis nominibus notatæ, per quæ illis ficticia claritudo confertur. Confusæ igitur imagines, non claræ ideæ, jure vocarentur, neque in intellectum evidentiam et fidem secum afferunt, sed contra dubitationem et obscuritatem.

Ut plane intelligamus, has non legitimas ideas, sed meros imaginationis effectus esse, observandum est eas nunquam distincte repræsentari, aut uniformiter definiri; imo contra, eas quisque singulariter sibi fingit, et pro sua parte definit, modo hoc, modo illud in ficticio objecto considerando. Sæpe etiam evenit, ut idem homo, duobus temporis momentis, unam ex his notionibus diversissime concipiat.

Exempli causa, num clare poni potest, ex quo maxime constet equi, sive hominis, idea? Singularem profecto equum, singularem hominem percipere possum, atque hæc objecta recte definire, id est, juxta naturam describere : equum autem et hominem, quomodo sint per se et essentia, nequaquam adæquate concipio. Nihil sunt igitur tales conceptiones, nisi fluitantes imagines, quæ semper, prout hoc aut illud mens considerat, commutantur, nunquam stabiliter defixo in totum intellectu. Itaque harum rerum definitiones nequeunt non arbitrariæ esse, innumeræque de eodem objecto proponuntur, omnes

pariter veræ, aut potius pariter falsæ. In summam, notiones transcendentales nihil sunt, nisi verba et imagines totæ in nobis ipsis sitæ; res singulares, quatenus fieri possunt, designant, non universales, quatenus sunt, ostendunt.

Contra, eas notiones consideremus, quas proprie communes seu rationales vocavimus, exempli causa, Substantiam, Extensionem, Cogitationem : has ita definire possumus, ut definitio semper valeat, omnibus æqualiter placeat, et nobis ipsis continuo accipienda sit, quotiescumque rem, quæ definitur, cogitabimus. Hæ sunt igitur res quæ intellectum et compleant et sistant, quæ menti certis et statutis terminis objiciantur, ideoque sunt formales essentiæ, naturam propriam extra nos possidentes, quoniam earum ideas arbitrario mutare vetamur. Quod autem concreta illa et actualia objecta nobis intuentibus abstractarum rerum speciem assumunt, et non aliter quam potentia esse videntur, non mirum est : quum enim nihil simus, nisi naturæ partes, illas autem res in universa natura indistincte perfusas conspiciamus, accidit ut nobis earum aspectus quasi incertus fiat et indeterminatus, et longe a singularium rerum natura distans, ita ut idem videantur esse, ac notiones transcendentales. Hoc autem tantum est finitarum mentium conditio : infinito intellectui, qui res omnes, sicut sunt, intueretur, æternæ et necessariæ essentiæ tam distincta determinatione, tam singulari forma apparerent, quam nobis temporalia et contingentia; nec, quod

eas sicut genera singularium definitionum percipimus, id causa est, cur iis existentiam plenam et perfectum actum negemus. Jure igitur res, entia physica, vocantur hæc infinita, quæ ratio concipit, objecta ; nam res proprie, res eminenter sunt, et intellectus, qui illa ante et supra finitas veritates affirmat, nos verius docet quam imaginandi facultas, quæ illa ex his consequi et abstrahi fingit.

Hoc videmus quo nomine Spinoza simul et realis et nominalis vocari possit. Nominalis eo est, quod genera omnino a rebus depellit, neque alia vult esse, quam animi passivos effectus, nedum summum scientiæ finem constituant, et æternum naturæ ordinem patefaciant. Realis autem eo est, quod, supra conceptiones quæ ab experientia nascuntur eamque confuse repræsentant, absolutas et necessarias ideas esse prædicit, quæ formalibus essentiis respondent, et quibus veritas fundatur. Itaque longissime a nominalibus distat, qui omnes cognitiones e sensibus detrahunt, et sentiendi facultatibus intelligentiam totam, contingentibus rebus veritatem totam adæquant. Spinoza contra nihil has res esse ducit, nisi mutilatas et disjunctas superiorum essentiarum imagines, æternæque et absolutæ naturæ temporalia et imperfecta exemplaria. Huic placet naturam, quatenus sensibus objicitur, nihil esse quam speciem et superficiem naturæ, quatenus a ratione intelligitur. Hanc distincte concipere et recte interpretari philosophi munus est ; et quo nobis clarius, ubi vere sit, ostendat, primum, ubi non sit, demonstrat.

Ergo nominalis ad tempus fit, ut plenius postea realis eveniat : intelligibilem mundum, qui fingitur, destruit, ut intelligibilem mundum, qui scitur, construat. Reipsa, merus realis est, utpote qui plane profiteatur essentias quasdam veras esse, quæ non sensibilibus mentis modis respondeant, iisque essentiis Ens perfectum definiat. Hoc autem diligenter determinare curæ habet, quæ sint hæ conceptiones, neque illas cum aliis confundi vult, quibus assimilari solent a vulgo. Itaque, nullam ob causam istos reales, quos graviter et periculose errare putat, tam acriter oppugnat, nisi quia cum quibusdam realibus, altius et clarius videntibus, plane consentit ipse. Veritatem vehementius diligit, ut patiatur eam ficticia specie velari, et ibi collocari, ubi patet eam non esse ; rationis objectis certiorem fidem adhibet, ut toleret illa parum exacte definiri, et in hac statione constitui, ex qua facile depellantur. Breviter, Spinozæ sententia, realium doctrina perfecte vera est : oportet autem distincte, quid valeat, intelligere, utque confirmetur ejus auctoritas, eam diligenter distinguere ab inanibus et mendacibus interpretationibus, quibus sæpius obscuratur et deformatur. Exterminentur a veritate genera, ut illis majora et certiora substituantur.

Nequaquam igitur sibi contradicit Spinoza, quum hinc profitetur nihil ad constituendam scientiam admittendum esse, nisi res concretas et actuales, omissis omnibus abstractis et ex prioribus perceptionibus deductis ideis, illinc autem declarat eum

vere philosophari, qui ex universo ad singularia procedit, et qui a notionibus communibus, absolute conceptis, ad magis magisque determinatas consequentias progreditur. Nam quas concretas et positivas res vocat, hæ sunt demum universæ essentiæ, ex æternitate in intellectu conceptæ. Itaque, omnes ideæ claræ, quæ absque omni experientia et per solam rationis efficientiam formantur, concretæ et veræ sunt; omnes contra confusæ notiones, quæ ex perceptionibus sequuntur et præcedenti experientia nituntur, abstractæ et ficticiæ. Sic solvitur auctoris nostri cum se ipso repugnantia : res universales fictionibus adjungit, si per hunc terminum intelligimus notiones, quæ post experientiam inductive creantur ; easdem perfectæ veritati assimilat, si notiones, quæ ante experientiam deductive formantur.

## VI

### DE VARIIS COGNOSCENDI GENERIBUS : QUID INTERSIT INTER DISCURSUM ET INTUITUM

Quod clarius etiam apparebit, si cognitionis doctrinam, methodice et quasi technice expositam, apud

Spinozam persequimur, ut jubet naturalis nostri operis ordo. Etenim, hoc in generale ostendimus, hominem ad scientiam erigi posse ; summatim determinavimus, quibus passivis et corporalibus facultatibus veri cognitio negetur, quibus actuosis et divinis tribuatur, quæ scientiæ simul et materiam et formam, hoc est, ideas et idearum ordinem, præbent. At non satis est : necesse est, priusquam conquiramus, quibus artibus et qua via scientiam constituere et ad perfectam cognitionem pervenire possimus, scientiam ipsam, facultatesque quæ illam gignunt, exactius et copiosius describere, quam adhuc fecimus. Compertum est, scientiam esse : quid autem sit, ignoratur ; novimus hominem ratione frui : nunc rationis specialem efficientiam et legitimos processus proprie determinandum est.

Doctrinalis cognoscendi modorum descriptio in duobus præcipue operum Spinozæ locis exponitur : scilicet in scholiis propositionis 40 secundæ Ethices partis, et sub initio Tractatus qui « De intellectus emendatione » inscribitur. Quam duplicem expositionem, et prius eam, quæ in Ethice reperitur, breviter contrahamus.

Auctor omnes cognitiones nostras in tres species dividit, quæ sunt : primo, perceptiones rerum singularium, quæ nobis confuse nulloque ordine mundum repræsentant, et quas Spinoza « experientiam vagam » vocat ; secundo, signa et imagines (ut verba et transcendentales notiones), quæ formantur e singularium sensationum reliquiis. Has duas species in

unum genus auctor reducit, quod vocat « cognitionem primi generis, opinionem, vel imaginationem », et quod nullius usus ad constituendam scientiam esse omnino declarat. Tertio accedunt notiones communes ideæque adæquatæ, unici veritatis fontes, solique mentis modi universis rebus respondentes; scientiam simul et regunt et complent, earumque auxilio tota fit cognitio : has Spinoza « secundum cognitionis genus » vocat.

Ita, duo sunt cognoscendi modi : hinc, cognitiones primi generis, quæ dividuntur in duas species, sensibiles scilicet perceptiones, et imagines quæ ex iis sequuntur; illinc, cognitiones secundi generis, quæ ideas adæquatas, seu notiones communes, comprehendunt, adjunctis omnibus, quæ ex iis depromuntur, consequentiis.

Prior modus, quod ad scientiam attinet, nullus est, hocque solum attendere debemus, ne naturali mentis progressui interveniat, eumque præpediat; secundus contra scientiam totam constituit, neque aliud est, nisi cognitio ipsa, priusquam crescat et amplificetur.

Ut hanc cognitionis doctrinam consummet, auctor tertium genus addit, quod « scientiam intuitivam » vocat, et quod definit tanquam procedens « ab adæquata idea essentiæ formalis quorumdam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem essentiæ rerum ». Hoc cognoscendi modo utimur, quum certorum numerorum relationes intellectuali horum intuitu statim percipimus, nullo rationali discursu nitentes.

Quomodo hæc tria cognitionis genera ad veritatem vel falsitatem referantur, ostendunt propositiones 41 et 42 : « Cognitio primi generis unica est falsitatis causa, secundi autem et tertii est necessario vera. » — « Secundi et tertii, et non primi generis, cognitio docet nos verum a falso distinguere. » Ita, omnes ideæ adæquatæ et veræ, adjuncto eo, quo distinguuntur a falsis, a secundo et tertio genere procedunt; omnes inadæquatæ et falsæ, a primo. Absolute igitur valet conclusio : omne quod a sensibus et imaginatione datur, inadæquatum, confusum, falsum necessario est ; omne quod a ratione, verum, clarum, adæquatum. Falli idem est, ac sentire et imaginari ; verum cognoscere, idem ac concipere et ratiocinari.

Sic colligitur in Ethice. Idem fere concludit Tractatus de intellectus emendatione, sed expressius et uberius. Primum, commemorat cognoscendi modum, de quo in Ethice mentio non facta fuerat : hic consistit in eo, quod rem aliquam « ex auditu » cognoscimus, id est, ejus rei non per nos ipsos gnari, sed tantum alicujus testimonio fidentes, vel « ex aliquo signo », id est, etiam per testimonium, nec proprio mentis interventu.

Patet hunc cognoscendi modum ad scientiam nihil valere, nam necessario ad aliquem ceterorum modorum refertur : declarat igitur Spinoza omnem certitudinem, quam ex hoc habemus, a scientia esse secludendam.

Secundus modus consistit in eo, quod rem percipimus per experientiam vagam, id est, quod conclu-

dimus rem ita esse, postquam multis experimentis comperimus eam ita esse, nullo experimento cetera oppugnante. Qui modus a scientia rejicitur, quia : 1° incertas neque absolute statutas cognitiones præbet ; 2° res naturales non aliter attingit, quam per earum accidentia, quorum cognitio ipsarum rerum cognitionem involvit. Breviter, neque securus, neque rationalis est : ergo rejici debet.

Tertius modus consistit in eo, quod rem ex alia re concludimus, sed non adæquate : quod fit, quum concluditur « ab aliquo universali, quod semper aliqua proprietas comitatur ». Hoc modo veras rerum ideas concipimus et secure colligimus, non autem perfectam illam et adæquatam, quam petimus, cognitionem obtinemus.

Quartus modus consistit in eo, quod rem « per solam suam essentiam, vel per cognitionem suæ proximæ causæ » percipimus. Rem per proximam causam percipere, hoc est eam ex notione, qua exprimitur ejus essentia, concludere ; rem per essentiam percipere, hoc est ejus adæquatam ideam habere. Una definitionis pars ad notiones primas et rationem, altera ad depromptas veritates et ratiocinationem, spectat. Qui modus perfecte ad scientiam aptus est, quoniam res per adæquatas essentias et per necessarias causas apprehendit.

Hoc pacto Tractatus concludit : quod ab Ethices conclusione, ut videre est, non aliter quam verbis differt. Omnia quæ a sensibus procedunt, e scientia exterminanda sunt ; unica sint cognitionis instru-

menta, tum rationis primæ notiones, tum earum logica explicatio. Communes igitur veritates, ideæque ex iis consequentes, certitudinis regionem omnino determinant : si scientia fieri possit, ex iis constituatur; nisi ex iis constitui queat, scientia non homini datur.

Antequam pergamus, necesse est tertium cognoscendi genus, quod in Ethice describitur, paulo longius considerare ; nam id genus maximi ponderis est ad spinozanam logicam penitus intelligendam, illudque accurate examinando, auctoris nostri sensum distinctius percipiemus, utilemque comparationem inter eum et maximum e veteribus philosophis dialecticum instituemus.

Hoc cognoscendi genus, quod per purum intuitum definitur, non aliud est quam propria absolutæ Cogitationis exercitatio, seu cognitionis in Deo idea. Etenim, Substantia infinita tali est natura, ut nullo pacto dividi queat : cunctæ res quæ in ea continentur, seu attributa seu modi, unam summam constituunt, quæ disjungi non aliter, quam mentis fictione, potest. Veritates igitur quæ his rebus respondent, in Cogitatione infinita quasi solidam et compactam molem efficiunt, vel unum syllogismum, cujus cunctæ propositiones uno tempore affirmantur, seu denique totum, cujus pars quæque, simul atque totum, ponitur. Ergo, in Deo, omnia quæ affirmari possunt, simul percipiuntur; omnia quæ sub intellectum cadunt, acervatim cogitantur. Deus omnes infiniti syllogismi partes una constituit ; omnes propositiones

continua affirmatione creat, sicut omnes existentias continua productione efficit.

Aliis sub conditionibus exercetur humanus intellectus. Quum enim finitus et temporalis sit, totam rerum summam non, nisi gradatim, apprehendere potest, nec veritatem, nisi particulis, carpit et delibat ; cogitur, ut ita dicamus, præ quaque illius parte stare, et disjuncte tenacia, quibus ea compingitur, elementa cogitare. Progressu igitur dialectico veritatem dignoscit; in quaque propositione non statim totam propositionum seriem, quæ ex illa sequuntur, aspicit ; neque, quum conclusionem statuit, hoc ipso infinitam corollariorum catenam connectit. Opus est illum sensim ex notis ad ignota meare, et per singulas stationes intelligibilia lustrare : quarum si minimam prætermittit, jam obscuratur via, occæcantur oculi, titubat progressio. Uno verbo, mens nostra non potest quin rationali discursu utatur. Intellectus in Deo saltuatim, in homine pedetentim procedit : hìc veritatis annales per litterulas computat, illìc uno visu persequitur, et ultimam lineam, simul atque primam, conspicit.

Hæc oppositio inter rationem et ratiocinationem, seu intuitum et discursum, quæ apud Platonem tanti momenti est, et qua ejus doctrina omnino stabilitur, non minus Spinozæ placere videtur, hujusque doctrinam valde corroborat. Quid enim est tertium cognitionis genus, nisi purus rationis actus, nisi merus intuitus ? et quid fit homo, quum illud adhibet, nisi intellectus divini particeps, absolutæ Cogitationis

consors ? Sunt enim quædam veritates, simplicissimæ scilicet et facillimæ, quas intellectus noster una concipere potest, sine ullo discursus interventu. Imo, hæc plures veritates, quæ inter se connectuntur, simul percipiendi facultas, absolutum cognitionis fundamentum est, nec, si ne minime quidem nobis tributa fuisset, ulla scientia fieri posset. Nam veritates, ordoque secundum quem collocantur, unum et idem sunt ; juxtapositæ propositiones et dialectica, qua concatenantur, series, reipsa haud separari queunt. Non sunt hinc affirmationes, illinc earum logica continuatio : unum adest Intelligibile, quod modo tanquam infinite explicatum, et sicut solidam necessariarum relationum summam, consideramus, modo per singulas intermissiones dispicimus. Quid igitur notionem, quid propositionem vocamus ? Nihil aliud, quam plenum concatenationis annulum, vel extensum explicationis punctum, quod uno visu, immotaque mente, intuemur. Est idea quasi extemporalis ratiocinatio, repentina conclusio, intuitivus syllogismus. Ergo, quatenus habemus ideas, Deo assimilamur ; quatenus veritatem quiete et immobili actu affirmamus, divino intuitu utimur. Quum autem disjunctas notiones naturalibus mediis religare, easque non partim, sed connexe et summa, percipere oportet, tunc moveri cogimur, et Deo dissimiles evenimus. Breviter, veritatem per intervalla fixo aspectu intueri possumus : hoc autem modo nihil quam separatas partes noscimus : ut totum integretur, et species una fiat, nos progredi oportet.

Si ita est, si datur homini concreta veritatis fragmenta statim aspicere, facile hæc potestas paulo majora efficiet, quam notiones singulas et disjunctas ideas intueri; satisque profecto valebit, ut plures notiones proximas, minimisque intervallis distantes, uno visu contempletur, et nonnullas conclusiones, simul atque præmissas, sine dialectico discursu affirmet. Tunc proprie fit hic humanæ menti concessus intuitus, quem Spinoza describit : quo præsertim in mathematicis rebus utimur. In iis enim sine dubio reperiuntur veritates quæ, etsi nec axiomata nec definitiones sint, sed contra, juxta consuetos mentis nostræ processus, conclusiones, tamen puro intuitu a cunctis hominibus noscuntur. Has vero fatendum est rarissimas esse : plerumque cogimur, quotiescumque binæ veritates, quæ distingui possunt, ad sese mutuo ita referuntur, ut una præmittatur, altera consequatur, ex priore ad secundam progredi, et hanc post illam affirmare.

## VII

### DE INTELLECTUS PROPRIETATIBUS

Tali modo, ut nobis videtur, tertium cognitionis genus apud Spinozam interpretari decet, talemque

locum huic generi, quod ad absolutæ Cogitationis exercitationem attinet, in ejus logica attribuere. Nunc pergamus iter : quoniam ratio et ratiocinatio, uno verbo, intellectus, solus e nostris facultatibus verum attingit, nunc determinandum est, quæ sint illius proprietates, quas formas rebus percipiendis sponte sua imponat, et quibus legibus omnia apprehendat. Has proprietates Spinoza, sub Tractatus fine, ita recenset :

1. « Certitudinem involvit, hoc est, scit res ita esse formaliter, ut in ipso objective continentur. » Hoc exprimitur naturalis intellectus sibi ipsi fiducia, vel intimus ille sensus, quo persuasum habemus, quidquid sine dubitatione asserimus, necessario verum esse.

2. « Quædam percipit, sive quasdam format ideas absolute, quasdam ex aliis. » Id significat quasdam esse essentias, quarum ideas statim concipimus, nullis aliis ideis prius consideratis ; quasdam autem, quarum ideas per medios terminos formamus, quatenus ex aliarum rerum ideis sequuntur. Ita, sunt res quæ ratio extemplo affirmat, quia eas sicut existentes simpliciter intuetur ; sunt contra res quas non affirmat, nisi postquam alias res cogitaverit, quia videt illas in harum ideis involvi, neque has existere posse, nisi illæ quoque existant. Nonnulla igitur vera sunt, quia ea ipsa uno intuitu contemplamur ; nonnulla, quia non fingere possumus, ea quidem falsa esse, priora autem vera.

3. « Quas absolute format, infinitatem exprimunt ;

at determinatas ex aliis format. » Hoc necessario ex præcedente propositione sequitur. Etenim res quam absolute intuemur, nobis offertur tanquam per se existens, ideoque tanquam infinita. Nam quum ejus idea a nulla alia idea dependeat, sed sponte sua in mente producatur, talis ideæ objectum nobis apparet sicut non ab ullo alio objecto dependens, aut ab ulla re externa ad existendum determinatum, sed per intrinsecam necessitatem, id est, libere et per se, reale factum. Intuitu ideas in mente ex abrupto dante, intuitus objecta in rebus ex æterno dantur. Contra, res quas concludimus, et post antecedentes ideas affirmamus, eo ipso nobis apparent sicut ab aliis rebus dependentes, et post alias res veræ factæ. Ex ratione in mente prolatæ, ex determinatione in rebus proferuntur ; eadem extrinseca necessitate, qua in intellectu ex prioribus ideis depromuntur et per extensiores veritates cognoscuntur, in mundo e superioribus essentiis defluunt et per latiores causas gignuntur.

4. « Ideas positivas prius format, quam negativas. » Quoniam enim tota cognitio intuitu stabilitur, et scientia pro principiis habet objecta semel data, ex quibus postea omnia, quæ continent, extrahuntur, manifestum est primas ideas semper positivas esse : nam intuitus naturaliter ens, neque non-ens comprehendit. Necessario igitur negativæ ideæ ex discursu procedunt : quomodo autem formentur, breviter explicemus.

Quum mens, quibusdam notionibus intuitu per-

ceptis, et nonnullis consequentiis ab illis detractis, varias veritates, quas eo pacto novit, inter se comparat, animadvertit has notiones interdum omnino inter se differre, vel enuntiata ex quadam idea sequentia enuntiatis ex alia idea collectis plane disparia esse, nec posse qualemcumque certæ seriei propositionem in qualemcumque seriem transferri : ita ut rerum, quæ in una serie explicantur, proprietates proprietatibus rerum, quæ in altera demonstrantur, repugnent. Ita fit, ut has de illis, illas de his negemus, atque ex quadam idearum serie certam proprietatem, quam per alterius seriei explicationem determinavimus, excludamus. Hoc intelligitur, omnem ideam negativam duos positivarum idearum ordines involvere : hinc, ideas quibus exprimitur quorundam objectorum natura ; illinc ideas quibus exprimitur aliorum objectorum natura ; negationemque, binis naturis comparatis, earumque oppugnantia comperta, enuntiari.

5. « Res non tam sub duratione, quam sub quadam specie æternitatis percipit. » Hac propositione affirmatur mentem, quum ab imaginatione plane liberatur, et res per puras ideas concipit, eas nequaquam considerare, quatenus numerantur et durant, sed tantum quatenus ad unicam et æternam Substantiam referuntur. Ergo finita entium multitudo non objicitur rationi juxta proprias leges naturam contemplanti, sed imaginandi facultati, quatenus universum dividit, et quamque partem ficticiis terminis includit. Lex est igitur puri intellectus, unitatem in

infinito concipere, sicut sensuum et imaginationis conditio, diversitatem in finitis percipere.

Hìc notandum est, quam diversos locos Spinoza temporis et extensionis notionibus in sua doctrina tribuat. Hinc, ei placet extensionem necessarium et absolutum rationis objectum esse; illinc, tempus nihil esse vult, quam negativam notionem, imaginationis effectum, sensuum delusionem. Quod sane Cartesii principiis omnino consentaneum est ; nam, dum apud recentes tempus et spatium semper ad unum genus reducuntur, eidem disquisitioni subjiciuntur et pari fortuna tractantur, cartesiani contra has duas notiones funditus distinguebant : quarum unam contingentem et ficticiam, alteram necessariam et rationalem existimabant. Breviter, dum apud nos temporis et spatii veritati fides aut simul adhibetur, aut simul negatur, cartesiani, atque ante omnes Spinoza, extensioni absolutam veritatem summa fide tribuebant, temporis autem ideam subjectivam esse et nihil extra mentem valere, non dubitabant profiteri.

Huic intellectus legi, qua omnia sub æternitatis specie concipit, addenda est ea simillima proprietas, qua omnia tanquam necessaria intelligit. « De natura rationis non est res, ut contingentes, sed ut necessarias, contemplari. » (Ethice, II, 44.) Etenim, rationis absolutum munus est, omnes res per necessarias causas cognoscere, nihilque ab ejus natura magis alienum esse potest, quam contingentiæ notio. Nam quod contingens est, hoc, per se, cogitationem

excludit, menti surripitur, intellectioni repugnat; libertas, ipso nomine, scientiæ contradicit et cognitionem negat. Est igitur contingentiæ notio universa rerum non cogitandarum forma, absoluta ejus, quod non sciri potest, definitio. Necessitas contra, seu quatenus inter causas et effectus fit, seu quatenus inter præmissas et consequentias, id est, determinatio sive physica, sive logica, propria cognitionis forma, suprema intellectus lex, merito vocatur. Contingentia cogitari, aut non-ens esse, pariter absurda sunt; cogitatio et necessitas, esse et determinari, unum et idem est.

6. « Ideas, quas claras et distinctas formamus, ex sola necessitate nostræ naturæ sequi videntur; confusæ autem contra. » Aliis verbis, tunc solum mens se ipsam possidet propriisque legibus paret, quum secundum rationis ordinem, id est, clare et distincte cogitat. Claritudo et cogitatio, unum est : nam mens essentiam nullam habet, nisi intellectionem; ita, quum non intelligit, propriæ essentiæ non adæquatur. Cetera, intellectum actuosum et ideas claras unum esse, ex hoc facile noscimus, quod, quum ideas claras formamus, nobis ipsis videmur earum compotes esse, easque sub nostro dominio tenere, et voluntarie creare. Contra, quum ideas confusas habemus, nos pati sentimus; idea nobis imponitur, non a nobis creatur. Nec nos fallit hæc sensatio : verum est in ideis confusis nostram intellectualem naturam pati et servire; tunc non agimus, sed agimur a corpore, et corporis legibus externa vi subjicimur. Claris au-

tem in ideis, libere cogitamus, et proprios modos vere creamus : dummodo per libertatem intelligamus, non sane tyrannicum arbitrium, et ficticium quidlibet certis sub conditionibus efficiendi potestatem, sed spontaneam mentis secundum proprias leges evolutionem ; atque per creationem, non profecto creationem ex nihilo, sed idearum per naturales rationis vires formationem. Ita, idearum claritas, intellectus libertas est ; idearum confusio, intellectus servitium.

7. « Ideas rerum, quas intellectus ex aliis format, multis modis mens determinare potest. » Hoc significat intellectui, quum ex principalibus notionibus ad consequentes ideas progreditur, varia itinera dari, eamdemque rem plurimis viis, et ex plurimis notionibus, deduci posse. Etenim, omnia in natura concatenantur, omnisque veritas totam veritatum summam in se continet : ex quo sequitur, in subtili qualiscumque absolutæ ideæ disquisitione, inveniri posse rationes, quæ ad omnium deductarum véritatum enuntiationem ducant. Cuncta igitur ex cunctis colligi possunt ; omne intuitus objectum totam deductionis materiam involvit. Hoc fit, ut viæ, quibus ex cognitis ad incognita proceditur, infinite variæ sint, rerumque causæ plurimis modis determinari queant.

8. « Ideæ, quo plus perfectionis alicujus objecti exprimunt, eo perfectiores sunt. » Quod per se manifestum est, quoniam idearum formalis essentia rerum formali essentiæ, per objectivæ harum essentiæ mediationem, adæquatur.

Tales sunt præcipuæ intellectus proprietates, explicate descriptæ, et per efficientiam definitæ.

## VIII

### QUID SIT ABSOLUTA SCIENTIA

Postquam intellectum examinavimus, ejusque proprietates et leges novimus, nunc id, quod intellectus efficere debeat, hoc est, scientiam, definire oportet : ita ut, e sola collatione nostrarum facultatum cum eo fine, qui nobis proponitur, sequantur methodi præcepta et rationalis discursus regulæ.

Ut recte intelligamus qua natura, spinozanæ logicæ præceptis congruenter, scientia perfecta prædita esse debeat, hoc axioma consideremus, quod nostri auctoris doctrinæ, atque in generale, omnium ejusdem modi doctrinarum, fundamentum est : scilicet axioma quo enuntiatur finita et infinitum, partes et totum, naturam et Deum, mutuis relationibus conjungi et se invicem involvere. Quoniam enim hi contrarii termini pro consociatis et reciproce determinandis essentiis habentur, seu pro diversis unicæ Substantiæ nominibus, ex oppositis prospectibus consideratæ, sequitur neutrum cogitari posse, nisi qua-

tenus ad alterum spectat. Totum cogitare, id est totum ad partes referre; partem cogitare, id est partem ad totum referre. Qui Deum cognoscit, ex absoluta Dei idea singulares, quibus definiuntur res naturales, ideas deducit : qui naturam cognoscit, singulares rerum ideas ad absolutam, qua definitur Deus, ideam reducit. Quomodo enim aliquid cognoscitur ? Non aliter quam determinatis rationibus, ex quibus affirmetur, vel statuto loco, quem in rerum serie necessario occupat, vel tandem ibi posito ejus esse, quo stat naturaliter. Itaque, quum Deus non realis sit, nisi in ipsius singularibus modis, neque alibi verus, quam in naturalibus rebus, ut Deum cognoscas, opus est te Dei ideam, ex pura divinæ essentiæ conceptione usque ad conceptiones singularium rerum, quas involvit, detrahere, aliis verbis, mundum ex Deo deducere. Consistit igitur Dei cognitio in determinatione, juxta logicam seriem effecta, conceptionum quæ ex illo ad mundum descendunt, vel in rationali ideæ Dei usque ad hoc punctum deductione, quo res singulares enuntiat.

Rursus, quum mundus non realis sit, nisi in Deo, neque singulares, quibus res constituuntur, determinationes alibi, quam in infinita ipsarum concatenatione et necessaria evolutione, veræ sint, ut mundum cognoscas, opus est te rerum singularium ideas usque ad Entis absoluti, cujus illæ modi sunt, ideam retrahere, seu regredientem rationum seriem, quæ progredienti causarum seriei respondet, constituere, uno verbo, mundum ad Deum reducere. Ita mundi scien-

tia scientiam Dei reddit, sed contraria via : hæc implicat et comprehendit, illa explicat et remittit; hæc infinitum in finita colligit, illa finita in infinito dispergit. Reipsa, una est scientia, unaque cognitio ; prout autem ex Deo ad mundum, aut ex mundo ad Deum procedit, diversa nomina recipit : fit scientia Dei, quatenus deducit et involvit, absolutumque in contingentibus aspicit; scientia mundi, quatenus reducit et resolvit, et contingentia in absoluto contemplatur.

Ita, rationem sequendo, philosophus rerum causas, et simul atque has, Entis unitatem percipiet. Quamque rem aspiciet, non tanquam unicum quid et pro sua parte verum, sed tanquam summæ fragmentum, et ex antecedente syllogismo conclusum. Qualecumque individuum ad integram et causarum, quibus productum fuit, et effectuum, quos ipsum producet, seriem referetur, individuique cognitio universæ naturæ cognitioni adæquabitur. Hic cognoscet, non qui rem sicut actualem et veram per se enuntiabit, sed qui rem sicut ab antecedentibus rebus dependentem, et in effectuum concatenatione certo loco productam, affirmabit. Singularium scientia idem erit ac universi scientia, et perfectæ rerum finitarum notiones inter se non tam materia, quam forma, different. Quoniam enim qui certam rem cognoscit, totum cogitat, neque pars ulla scitur, nisi quatenus in Deo consideratur, omnis cognitio pariter totius cognitionem involvit, vel, juxta propositionis 45 verba : « Unaquæque rei singularis idea Dei essentiam ne-

cessario involvit. » Breviter, nullius rei ideam habemus, quin Dei ideam simul habeamus : omne scire, in Deo scire est.

Si ita est, quomodo singulares notiones et finitarum rerum ideæ inter se distinguuntur? Singularibus demum locis, quibus insidet intellectus, dum eas percipit. Etenim, in universi contemplatione, hunc sive illum locum eligere potes, ex quo cetera prospicies, et prout talem eliges, tali prospectu res videbis. Hæc autem delecta sedes, hæc observandi statio, nihil est quam res ipsa, quæ consideratur. Sic, quot erunt singulæ res, seu absoluti Entis partes, tot erunt universi cognitiones, seu absolutæ Cogitationis modi. Ita ex unitate nascitur diversitas, et scientia fit multiplex ; ita Dei idea, omnis veritatis fundamentum, infinite variatur. Singularis igitur rei idea singularis ipsa et determinata manet, etsi Dei ideam involvat; omnes ideæ inter se similes quidem sunt, quatenus hoc commune elementum continent, dissimiles autem, quatenus illud singulariter exprimunt. Deus, simul atque unus et continuus est, a se ipso non penetrari potest, et intrinsecæ ejus partes se mutuo excludunt : singula extra ceteras est, etsi cunctæ intra Deum sint. Eo fit, ut scientia simul, et rerum, et in Deo, sit, cognitioque singularis et universalis una vocetur : universalis, quod in Deo continetur, atque ad infinitum extenditur; singularis, quod a certo Dei modo procedit, et ad certum infiniti punctum refertur.

Non vero perfectam scientiæ essentiam eumque,

quem attingere contendit, finem plane perspicere possumus, nisi distinctionem, qua paulo supra finitam mentem ab infinito intellectu separavimus, iterum consideremus, determinemusque quid illa sibi proponere debeat, ut huic quam simillima fiat.

Hoc compertum habemus, intuitum et discursum non essentia et absolute inter se differre, sed tantum gradibus et relative. Quod finita mens ex discursu concludit, hoc idem infinitus intellectus intuitu concipit. Deus omnes veritates sicut axiomata cognoscit; nam ei cuncta pariter necessaria, pariter ex æternitate vera videntur. Hoc igitur sibi scientia proponere debet, ratiocinationem a mente secludere, et puræ rationis exercitationem unice in eam admittere, seu discursivum motum sistere et intuitivam quietem statuere, uno verbo, conclusiones in axiomata commutare. Infinitus intellectus nihil concludit, quia non movetur, et cuncta uno intuitu contemplatur; contra, intellectus absolute finitus (quæ fictio sibi ipsi contradicit) omnia concluderet, id est, nihil cognosceret, nisi ex prioribus ideis et anteriore motu. Hoc sane nullo modo fieri potest; nam necesse est aliquas esse, intuitu conceptas, principes ideas, a quibus mens progrediatur : ex æternitate juxta res moveri, neque usquam antea quievisse, seu semper concludere, nunquam intueri, hoc esset res omnino ignorare, et absolute non cogitare. Omnis igitur cogitatio interdum, per dialecticum cursum, quiescit, et nonnulla sine conclusione affirmat. Possunt autem diversissimi cogitationis, ideoque scientiæ, gradus existere, prout

major aut minor est cognitionum summa, quæ non concluduntur. Eo plura mens concludit, tanto magis dispar est absolutæ Cogitationi; eo magis huic similis fit, tanto plura intuetur. Absoluta est Cogitatio, quæ nihil concludit, omnia scit; perfectior fit cogitatio, quæ propriæ intuendi facultatis fines dilatat, deductionis necessitatem constringit. Deus omnia scit, nihil colligens; homo pauca scit, multa colligens : quod vero sibi proponit scientia, hoc est collectis notionibus intuitivas ideas substituere, et semper latiores reddere concretas veritatis partes, uno visu nec priore discursu conceptas; quod vult ars cogitandi, id est menti humanæ præstare, ut quam minime moveatur, et quam paucissimis stationibus quiescat, unde quam plurimas veritates aspiciat.

Talis est perfectæ scientiæ idea : has possidet proprietates, hunc sibi proponit finem. Ergo, quid sit mens nostra, quid sit scientia, novimus : nunc binas naturas conferre decet, mediorumque seriem, quæ unam alteri jungunt, determinare, et ita intellectum ad cognitionem religare. Hoc est proprium methodi propositum, quæ quartum locum in nostra logica naturaliter tenebit.

## IX

### DE CERTITUDINE, SCEPTICORUM DOCTRINA ET METHODI FINE

Quomodo in lucem prodemus et composite ordinemus hanc scientiæ materiam, quæ in intellectu jacet? Quibus regulis utemur, ut veri elementa reperiamus, a ceteris elementis, quæ in mente dari possunt, distinguamus, atque ita disponamus, ut veritatem totam repræsentent? His Spinoza præcipue in Tractatu de intellectus emendatione respondet. Satis igitur erit, ut hanc logicæ partem tractemus, et totam methodum constituamus juxta spinozana præcepta, hoc opusculum explicate percurrere, additis quibusdam Ethices locis, ad eadem pertinentibus.

Hoc primum quærendum est, quid sit certitudo, et quo signo veritas se ipsam denotet. Namque, ut noscamus qua via ad veri cognitionem procedere deceat, oportet prius aliquod indicium habere, quo verum extemplo agnoscere queamus. Quid est igitur naturale veritatis signum, seu testimonium quod de se ipsa intellectui ultro præbet?

Sic respondet in Ethice Spinoza :

« Qui veram habet ideam, simul scit se veram habere ideam, nec de rei veritate potest dubitare. » Hoc exprimitur absoluta fides, quam cartesiano evidentiæ principio adjungit Spinoza. Omnino non fieri posse putat, aliquem verum scire, idque non scire ; puramque contradictionem existimat, rem cognosci, et hanc cognitionem non cognosci. Etenim, certa idea, atque ipsius idea, non separari queunt, quoniam hæc non aliud sit, quam illius forma, sine objecto consideratæ. (Ex hoc axiomate jam Spinoza, ut vidimus, conscientiam humanam genuit.) Eo fit, ut veritas sui ipsius indicium sit, et menti manifesto appareat, simul atque in ea producitur. Nam, quoniam ideam quamdam ipsius idea necessario comitatur, nullam ideam adæquatam habemus, quin ejus ideam simul habeamus : ex quo scimus nos verum cognoscere, et certitudine fruimur. Rursus, si ideam inadæquatam habemus, ex ejus idea noscimus nos inadæquatam ideam habere, et sic dubitamus.

Quæ demonstratio forsitan non irreprehensibilis est. Quid enim nos certiores facit, ideam ideæ esse adæquatam, et proprium objectum recte repræsentare ? Si autem non adæquata est, tunc, quum nobis priorem ideam, seu velut adæquatam, seu velut non, repræsentat, nos fallit, et vanescit omnis certitudo. Ergo opus erit tertiam ideam in testimonium vocare, et sic ad infinitum.

Hæ difficultates Spinozam non prætereunt ; istas autem contemnit, nec diutius ab iis præpediri patitur, sed clara voce profitetur, eversa naturali evi-

dentiæ fiducia, scientiam funditus destrui, dubitationemque absurdam esse, quum non sponte sua in mente nascitur. Cartesium igitur, quod ad hoc attinet, omnino sequitur, et absolutæ veritatis naturæ plane assentitur. Scepticorum doctrina illi mera insanitas, intellectus morbus, deliræ mentis monstrum videtur esse. Nonne hoc primum ejus doctrinæ axioma est, qui per ideas claras cogitat, eum Deo assimilari, imo, ut postea videbimus, Deum unum cogitare, et hunc ipsum nobis inesse, quum vere cogitamus? Quomodo igitur Deus erraret? Quomodo falsitas in divinum intellectum introduceretur? Hæc tantum enuntiare, impietas philosophica est. Sunt igitur omnes ideæ claræ et distinctæ necessario veræ, sicut ipsæ Dei ideæ, cum quibus confunduntur; qui autem de earum veritate dubitat, illasque ad alienum judicium vult adducere, is rationis juribus se voluntarie abdicat, et Dei vocem in se mutam facit. Rationi credere, hoc est Deo credere, blasphematque, qui eam rejicit.

Cetera, si nonnulli sunt insanabiles sceptici, qui ad extremum dubitare obstinant, profitetur Spinoza se cum istis non amplius conferre velle, et quæcumque objectare velint, iis non attenturum fore. Tales scepticos censet a philosophorum cœtu exterminandos esse, utpote quibuscum nullum de scientia colloquium fieri possit : « sunt tanquam automata, quæ mente omnino carent. »

Hanc certitudinis quæstionem Spinoza iterum in Tractatu versat, eademque omnino concludit. Primo,

inquit, certum est nos ideas veras habere. Idea autem formaliter aliud est, ac ipsius objectum : aliud est corpus, aliud corporis idea. Itaque, quum idea aliquid reale per se sit, alterius ideæ objectum fieri potest, seu intelligibile quoddam, in secunda notione repræsentatum, quæ prioris formalem essentiam objective contineat. Quæ secunda idea tertiæ tanquam objectum dabitur, et sic ad infinitum, ideis se mutuo implicantibus et vicissim repræsentantibus. Ergo, quum res cognoscitur, hujus cognitionis cognitio, post, tertia secundæ cognitionis cognitio, itaque continuando, effici possunt. Patet autem has superpositas cognitiones non necessarias esse, ut princeps fiat, sed contra hujus existentiam involvere ; aliis verbis, non rem cognoscimus, quia cognoscimus eam a nobis cognosci, sed contra, quia cognoscimus rem, eam a nobis cognosci cognoscimus.

Quod igitur in cogitatione ex principio datur, hoc est cogitatio ipsa, quatenus objectum concipit ; scientiæ essentia consistit in eo, quod idea ad rem ipsam sine mediis refertur ; scientiæ conscientia superadditus est effectus, qui scientiam quidem semper comitatur, non autem ei sicut intrinseca conditio datur. Ex hoc sequitur certitudinem extemplo fieri, neque aliud esse, quam objectivam rei essentiam, sive rem ipsam quatenus in idea repræsentatur, seu modum quo rei formalem essentiam percipimus. Non est certitudo, ut sæpe creditur, reflexiva cogitationis sententia, se ipsam considerantis et, effecta æstimatione, pro legitima habentis ; est spontaneus

cogitationis impetus, se ipsam integre objecto applicantis : non cognitionis cognitio, sed rei cognitio est. Itaque, ut certitudine fruamur, necesse est nos veram rei ideam habere, neque nihil ultra : nullo alio signo opus est, nullo alio uti possimus.

Hac certitudinis definitione nobis ostenditur, quid sit methodus, quid efficere velit, quem finem sibi proponat. Quoniam, ut veritas agnoscatur, veritas ipsa sufficit, isque longissime a dubitatione abest, qui veras ideas habet, manifestum est methodum non hoc sibi proponere, ut nobis signum præbeat, quo ideas veras a falsis distinguamus, illis jam acquisitis, sed nihil aliud velle, nisi nos docere, qua ratione veras ideas reperiamus, et secundum quem ordinem illæ quærendæ sint. Aliter, ut certitudine fruamur, satis est nos veras ideas habere : itaque, ut nobis certitudinem conferat, hoc methodus efficere debet, ut veras ideas habeamus. Est igitur methodi materia, facultas qua ideas concipimus, id est, intellectus. Non sane cum intellectu ipso confunditur : non ea principes veritates præbet, non ea consequentes veritates a principibus detrahit, non ea demum res intelligit, sed rerum intelligentiam pro objecto habet ; non est spontanea facultas, sed ars quæ illa utitur, non naturalis potentia, sed norma qua dirigitur.

Ergo methodus, quid sit idea vera et quid non sit, determinat, in nostra mente facultatem distinguit, quæ tales ideas format, illamque ab aliis separat, ut libere et sine impedimento crescat et explicetur. Rationem docet se ipsam noscere, propriis legibus pa-

rere, et operæ suæ parcere. Sic est methodus quasi reflexiva cognitio, seu scientia sui ipsius conscia intrinsecamque naturam intuens, seu tandem, ut dicit Spinoza, ideæ idea. Quum autem ideæ ideam non habemus, nisi prius ideam ipsam conceperimus, non potest scientiæ scientia constitui, nisi prius scientia ipsa existat, potentia saltem et semine. Itaque methodus medium inter potentialem et actualem scientiam locum occupat : non aliud est quam scientia ipsa, se proprio lumine perfundens, priusquam objecta illustret, se comprehendens et determinans, priusquam rebus applicetur ; quo facto, naturalem cursum pergit, atque, sui ipsius compos, intrinsecarum legum et propriæ efficientiæ conscia, imposito munere cum artis auxilio fungitur. Breviter, est methodus ratio se ipsam ante cogitans, quam Ens cogitet, intellectus se ipsum ante recognoscens, quam veritatem cognoscat.

Ita, hoc nos docere vult methodus, quomodo mentem ad ideæ veræ normam dirigere oporteat, id est, quomodo ab idea absolutissime vera omnis intellectus evolutio dependere possit, ita ut illius principalis ideæ rationalis explicatio eadem sit, ac intellectus evolutio. Quæ est autem hæc idearum verissima? Quoniam relationes, quæ inter ideas existunt, eædem sunt ac relationes quibus res inter se conjunguntur, oportet omnium idearum maxime veram enti maxime reali, id est, Enti perfectissimo, respondere. Ergo a perfectissimi Entis idea dependebit tota scientia, illamque explicare et subtiliter dispicere, unicum

munus habebit; ex quo methodus ita definiri potest ars mentem dirigendi ad Entis perfectissimi ideæ normam.

Hoc intelligitur, qua ratione mens possit sibi instrumenta magis magisque perfecta creare, et propriam verum inveniendi facultatem continuo corroborare. Ante omnia, opus est dari certam absolute veram ideam, quæ cetera disquisitionis instrumenta arte fabricabitur, illamque talem sui ipsius intuitum habere, ut ab omnibus aliis perceptionibus se distinguat. Magna pars methodi est, quid sit illa idea, determinare, eamque omni cum aliis notionibus mixtura purgare. Cetera, quum mens se ipsam eo melius cognoscit, quo plura objecta novit, eoque facilius proprias notiones inter se distinguit et ad definita genera reducit, quo magis varias et multiplices ideas habet, sequitur hanc methodi partem eo perfectiorem esse, quo plura scimus, et res latius mente comprehendimus. Ita, prout naturam ejusque ordinem plenius cognoscimus, cognitionis normas facilius statuimus. Hoc fit ut scientiæ regulæ reperiantur, simul atque scientia ipsa ditescit, et inventionis instrumenta per inventionis progressum creentur.

Præterea, omnia in natura concatenantur, veritatesque se vicissim gignunt. Si ulla res in mundo esset, quæ nullas relationes cum ceteris rebus sustineret, quum rerum formalis essentia objectivæ earumdem in mente essentiæ adæquetur, hujus rei idea cum ceteris ideis nequaquam conjuncta foret,

atque ex ea nulla conclusio depromi posset. At non ita est : imo contra, omnes res reciproce ad se referuntur, eoque evenit, ut ideæ se mutuo determinent ad existendum, incognita per cognita reperiantur, scientiaque ad infinitum progrediatur.

Ad methodi objectum redeamus. Hunc ei finem imposuimus, mentem ad ideæ veræ normam dirigere. Sunt forsitan qui mirabuntur, nos illud ratiocinando collegisse; ut enim valeat nostra conclusio, necesse est discursum, ex quo posita fuit, rationaliter rectum fuisse, et ab idea vera procedisse; ut autem certiores fiamus ideam, a qua profecti sumus, veram fuisse, hoc ratiocinando demonstrandum esset : quæ secunda demonstratio tertiam involveret, et ita ad infinitum. Ergo merus orbis est, methodi objectum methodice determinare.

Hæc nobis merito objiciuntur : nempe ea demonstrativa de methodi fine disquisitio non est cognitionis pars omnino necessaria, aut absoluta scientiæ conditio; contra, nihil est nisi exercitatio quædam, qua ratione uti præparamur, intime meditari et puras ideas contemplari discimus, denique naturalibus intellectus legibus parere assuescimus. Si quis forte intelligentiam suam in naturæ inquisitione juxta rationalem ordinem ultro direxisset, et sic veritatem spontaneo motu attigisset, is profecto nunquam de ulla re dubitavisset, et, veri compos dum esset, veri præsentiam in se absolute percepisset; nam cognitio, ut monstravimus, sui ipsius testis est. Homines vero recta methodo non naturaliter utuntur, vel quia de

rebus præjudicare solent, vel quia difficile est scientiam definire et quæstiones distinguere, vel quia res humanæ multis vicibus obnoxiæ sunt. Itaque necesse est eos rectam methodum arte docere, et rationis usu rationis usum determinare. Hoc profecto orbis est, sed qui non vitandus sit.

## X

### DE IDEIS FICTIS : QUA SPINOZA ET KANTIUS SIBI MUTUO REPUGNENT

In prima methodi parte docetur, quomodo idea vera a ceteris perceptionibus distinguatur. Quæ pars maximi momenti est, nam ceteras involvit. Præterea, pauci homines ideas veras a falsis distinguere valent, et fidem minime legitimis idearum haud cunctanter adjungunt, dum eamdem verissimis et clarissimis negant. Magni igitur interest, faciles et securas statuere regulas, quibus ideam veram agnoscere promptum sit. Quæ autem ideæ non veræ sunt, aut fictæ, aut falsæ, aut dubiæ necessario sunt : hæc tria idearum genera, quatenus ad ideas veras referuntur, nobis demum consideranda sunt. Ideas fictas primum examinabimus.

Omnis perceptio refertur, sive ad rem quatenus existit, sive ad rem per essentiam consideratam : quum idearum fictarum pleræque ex priore genere sint, hoc prius considerabimus. Perceptio ficta, quod ad hoc genus attinet, consistit in eo, quod fingimus rem, quam existere non certe scimus, reipsa existere. Ex quo sequitur ideas fictas semper ad res, quæ fieri possunt, referri, nunquam ad eas, quæ non fieri possunt, aut ad eas, quæ sunt necessario. Etenim, res non fieri potest, quum tali natura est, ut repugnet eam existere; res necessario est, quum tali natura est, ut repugnet eam non existere; res fieri potest, quum tali natura est, ut neque eam existere, neque eam non existere, repugnet. Patet, ex his definitionibus, in tertio tantum genere locum fictionibus dari : nam manifesto non fingere possumus, seu rem, cujus notio esse involvit, non existere, seu rem, cujus notio non esse involvit, existere; hoc tantum nobis datur, rem, cujus notio neque esse neque non esse involvit, fingere sicut existentem.

Itaque, si Deus aliquis sit, qui omnia cognoscat, is fingere absolute non potest : nam quum omnia per esse aut per non esse concipiat, certa res, quatenus illius intellectui objicitur, necessario aut est, aut non est. Deo igitur nulla regio datur, in qua res aut esse aut non esse simul possint, id est, in qua fingi queat. Nos ipsi nunquam fingere possumus, nisi quum causas, ex quibus res vel determinatur ad existendum, vel excluditur ab existendo, ignoramus : simul atque has causas novimus, vanescit fingendi potestas.

Ergo de veritatibus æternis omnino fingere non datur, quoniam ab omnibus tanquam necessariæ concipiuntur. Quod autem contingentes veritates attinet, eo facilius de his fingitur, quo res ficta magis per universaliter esse concipitur. Aliis verbis, quo esse magis singulariter concipitur, eo difficilius objecto cuidam ficte attribui potest; contra, quo magis universaliter concipitur, eo facilius objecti fictum attributum fit. Cujus rei id causa est, quod esse, quo magis generale est, eo magis vaga notione repræsentatur, eoque magis clara idea, quo magis singulare. Ergo, quum hinc vaga et falsa, illinc clara et vera eadem sint, nos entia eo verius concipimus, quo magis singulariter, eo falsius, quo magis generaliter, fictionesque plures fiunt, prout ad extensiora existentiæ genera referuntur. Itaque fictiones ejus generis ad hanc regulam admovebimus : rem fictam quam maxime singulari notione determinabimus, et conceptionem ita formatam cum naturali rerum ordine conferemus.

Nunc ad fictiones transeamus, quæ de essentiis fiunt. Quomodo illas et agnoscere et æstimare possumus? Non aliter quam objecti, quod fingitur, ideam ad claritatem adducere tentando : si hoc reipsa efficitur, vera est fictio; sin res non alia quam confusa et obscura idea concipi possit, falso fictum fuit. Etenim, quum rei cujusdam naturam perfecte intelleximus, tunc hujus rei notio nullum fictioni locum dat; et quo clarius res a mente percipitur, eo difficilius de ea fingitur. Ergo, claritate idearum fit æsti-

matio fictionum, quæ circa essentias versantur.

Ecce autem quædam scepticorum schola auctori nostro obstant, et regulam, cui fictas ideas admovet, nequaquam admittere volunt. Quæ Spinoza sibi ipsi pro his philosophis objiciat, paulo longius consideranda sunt; namque hæc objecta totum spinozanæ logicæ ædificium labefactant, et dum adversarii ictus usque ad intima doctrinæ principia ferunt, ejusque ima fundamenta eruere conantur, hæc nobis manifesto ostendunt et quasi sub oculos ponunt. Sic igitur loquuntur :

Hæ certæ fines, intra quas mens humana se ipsam includit, dum rerum naturam clare concipit, nihil extra mentem ipsam valent, neque ullo modo veros rerum terminos repræsentant; fictione fictio determinatur, et fingendo definimus regionem, in qua fingere nobis non amplius liceat. Etenim, qua ratione rei cuiusdam claram ideam formamus? Non aliter quam certam definitionem huic rei imponendo, seu ejus essentiam certo modo concipiendo. Quum semel hanc sive illam definitionem statuimus, nostra fingendi potestas ex hoc ipso terminatur, neque amplius circa rem definitam fingere possumus, sed tantum de ea juxta suppositam ejus naturam ratiocinari : hæc autem supposita natura, hæcque decreta definitio arbitrariæ sunt, atque a nobis solis dependent, non a formali rei ipsius essentia. Si aliter ex initio rem concepissemus, fines intellectum nostrum circa eam includentes in alio loco translatæ, et sub aliis conditionibus statutæ fuissent; quod nunc de ea fingitur,

de eadem veritas fuisset. Breviter, mentis humanæ progressio ex hoc constat, quod a certis ideis, ex nihilo creatis, proficiscitur, atque ex iis omnia, quæ continent, detrahit : prout illæ ideæ tales aut tales sunt, variantur quæ de his expromi possunt, nec qualiscumque conclusio a qualicumque præmissa sequitur; sed quod primo datur, ad libitum eligimus, nec unquam potest rationalis deductionum concatenatio testari, formales essentias a præmissis objective contineri.

Sic veritas tota intra intellectum versatur, neque aliud est quam congruens fictionum series : non consistit in eo, quod idea ad objectum refertur, vel quod definitio essentiæ conveniens est, sed in eo, quod idea cum idea jungitur, definitionique consequentes notiones consentiunt. Nos naturam rerum creamus, his certas definitiones attribuendo, et limites statuimus, intra quos moveri possumus; non igitur absolute vera a falsis distinguuntur, sed relative ordinatæ fictiones a discrepantibus fictionibus : si datur in mente disjunctarum suppositionum inconnexa summa, hoc fingere vocamus; sin convenientium propositionum cohærens series, hoc cogitare.

Talia dum exponit, nonne videtur Spinoza doctrinam præcepisse, quæ diu post ipsius obitum apparuit, scilicet Kantii disciplinam? Illa mentis arbitraria voluntas, qua ultro decernit, unde proficiscatur et quo tendat, atque sibi quasi subjectivam naturam creat, ut ei proprias cognoscendi facultates applicet, illa absoluta rationalis evolutionis intra singularium

mentium fines determinatio, nulla relatione ideas cum rebus ipsis jungente : hæc profecto mera sunt Kantii præcepta. Hunc igitur Spinoza quasi præsensit ; intellexit quæ olim suo philosophandi modo objicerentur, quæ objecta, simul atque ipsius auctoritatem quassarent, omnes deductivos mentis processus in nunquam cessaturam suspicionem adducerent. Summum illud spinozanæ philosophiæ, idemque omnis rationalis scientiæ, principium, quo enuntiatur mentem, dialectice progredientem, naturæ cursum imitari, et res, sicut formaliter existunt, repræsentare : hoc demum in dubium vocant ii sceptici, quorum objecta auctor exposuit, hoc evertere conabitur Kantius. Intellectus, quum a notionibus maxime universalibus, iisdemque clarissimis, proficiscitur, easque juxta logicum rationum ordinem explicat, realem causarum ordinem redditne, annon? Fingitne an cognoscit? De hoc summa quæstio agitur, et quemadmodum respondebitur, ita valebit doctrinalis scientia. Cognoscit, asserit Spinoza, evidentia fretus, et inconcusse rationis efficientia confisus ; fingit, refert Kantius, et ostendere contendit.

Itaque Spinoza et Kantius diversissimos, quibus insidere possint philosophi, locos occupant, et maxime contraria, quæ de rerum cum mente relationibus sentire queant, censent. Hic institutioni præest, cui placet communes intelligentiæ notiones nihil extra mentem valere, intelligibilem naturam ab existente natura omnino separari, res, quatenus per se versantur, nostrum captum transcendere, neque nobis un-

quam offerri, nisi per certas formas et datis sub conditionibus, quibus adulteratur earum effigies. Apud illum contra perfecte apparent spontanea rationis sibi ipsi fiducia, naturalis ea existimatio, qua res ipsas ab ideis claris repræsentari ducimus, decretum propositum mentis legibus naturam absolute submittendi, firma persuasio, intelligibilium et realium essentias inter se congruere, et universales formas, per quas fit cognitio, cum extrinsecis objectorum proprietatibus convenire. Kantius principatum eorum tenet, qui critice experiuntur, Spinoza eorum, qui dogmatice ratiocinantur; apud hunc ratio, dum se contemplatur, ipsam plenius affirmat, apud illum, dum se dispicit, ipsam in strictiores fines reducit. Hic se considerat, ut propriarum virium conscius fiat, ille, ut infirmitatem suam noscat; in intellectu humano, unus universi leges intuetur, in universi legibus, alter intellectus artes suspicatur.

Hæc contrariarum sententiarum oppugnantia Spinozam non præterit; summæque tenacitatis, qua priori adhæret, nulla causa est, nisi quod sentit, se pro doctrinæ suæ salute dimicare. Itaque adversarios acriter nec sine contemptu confutat; non tam cum illis disputat, quam eos confundit et deridet. Hæc mens, quæ nec res, nec ipsam, percipit, inanes autem, absque omnibus cum rebus relationibus, ideas creat, et se, per subsequentem proprii progressus cursum, primitivarum fictionum conditionibus submittit, hic intellectus qui, tanquam deus aliquis, principes ideas ex nihilo fabricatur, et tamen cetera

ad earum normam concipere cogitur, ista, denique, simul tyranna et serva ratio, non aliud illi videtur esse, quam ridiculum deliræ imaginationis monstrum. Talibus igitur suppositionibus omnino redargutis, iter securus jam pergit.

Ergo retineatur et plane valeat regula, cui fictiones circa essentias factas admovendas esse decrevimus. Quum idea ficta datur, si eam diligenter examinando et subtiliter disquirendo, ordinatam propositionum seriem statuere, et non interruptam notionum catenam formare possimus, vera est idea ; sin catena rumpatur et deficiat series, falsa. Sic, omne quod clarum et cohærens est, formali essentiæ respondet ; omne quod obscurum et discrepans, fingitur. Claritas, hæc est propria veritatis effigies.

Cur autem ideæ veræ claritate præditæ sunt ? Ex hoc, quod simplicitate. Etenim, omnis idea non clara, confusa est ; omnis vero confusa idea, composita : nam confusio nullam causam habet, nisi quod mens rem totam partim tantum percipit, vel indistincte omnibus partibus, quæ in ea continentur, attendit, non consideratis earum propriis naturis et mutuis relationibus. Ex qua sequitur, tum ideam rei simplicis necessario claram, et idcirco veram, esse, nam talis res non partim cognosci potest, sed solum in summam, aut nullo modo ; tum, qnotiescumque vicissim compositæ rei partibus attendimus, omnem confusionem dissipari, et fictioni non locum dari ; denique, fictiones semper compositas esse, quoniam ex eo procedunt, quod mens diversis et inconvenien-

tibus rebus simul attendit. Ergo, ut fictio vitetur, omnesque nostræ ideæ veritatis nota signentur, satis est ut nihil, nisi res simplices, cogitemus, vel etiam compositas, sed eas in partes resolvendo, et cuique parti singillatim attendendo, donec de quaque ideam claram formaverimus.

## XI

### DE IDEIS FALSIS ET INTRINSECA VERITATIS NATURA

Ita definitis fictis ideis, et determinatis, quibus dignoscantur, præceptis, transit auctor ad idearum falsarum examinationem : quas eo facilius disquirere erit, quod prius ideæ fictæ consideratæ sunt, non multum inter se differentibus his idearum generibus. Quo tamen distinguuntur, hoc ita exprimi potest : quum mens ideam fictam concipit, ei offeruntur causæ, ex quibus concludat hoc, quod nunc concipit, forsitan non verum esse; aliter, simul atque rem fingit, alias res veras percipit, ad quas prior referri potest, ita ut fictionem a certis ideis distinguat, et eam non, nisi ambigue, admittat. Contra, quum mens ideam falsam habet, eam velut certam concipit, nulloque modo potest, quum ejus veritati plane assen-

tiatur, in suspicionem adducere et ad veri testimonium vocare. Qui fingit, is imaginatur; qui autem errat, is somniat, vel aliquando delirat.

Si ita est, ideæ falsæ in eadem genera dividi, et iisdem explorandi modis subjici debent, ac ideæ fictæ. Ergo, quum idea ad esse rei refertur, si res ex iis est, quæ existentiam involvunt, nulla falsitas esse potest; sin ex iis, quæ aut existere, aut non, simul possunt, eadem ratione ideam explorabimus, ac fictas ejusdem modi perceptiones. Quum autem idea circa essentias versatur, tunc quoque ex eadem norma æstimabitur, ac fictæ, quæ ex eodem genere sunt, id est, claritate et simplicitate : nam omnes falsæ notiones, quæ de essentiis fiunt, necessario sunt confusæ, quoniam ex diversis partibus, non rationaliter conjunctis, constant, dum contra omnis idea simplex, vel ex ideis simplicibus composita, vera non esse nequit, ut sequitur ex intellectus natura.

Quod postremo enuntiavimus, scilicet ex intellectus natura sequi, omnem ideam simplicem veram esse, longius demonstrare necesse est, ut clare intelligatur, quæ sit veritatis essentia.

Vera perceptio non tantum a falsa distinguitur, quod ad extrinsecam denominationem attinet, sed maxime quod ad intrinsecam. Magis explicate, propositio vera est, non tantum quia absolute, et quatenus ad objectum refertur, vere enuntiatur (quam conditionem extrinsecam denominationem vocamus), sed maxime quia is, qui hanc enuntiat, compertum

habet eam veram esse, et veritatis a se affirmatæ plane conscius est (quod intrinseca denominatio vocatur). Exempli causa, quum rem affirmo, quæ reipsa vera est, quam autem ego non talem esse scio, temerarie nec bona fide assertionem meam proferens, hæc assertio vera quidem est, quod ad priorem denominationem spectat, non autem quod ad alteram, et omnino non vera est : sic, licet veritatem enuntiem, veritatem non cognosco, et, licet verum dicam, erro.

Ita, non est proprie veritas, nisi quum idea vera tanquam vera ab eo, qui hanc concipit, cognoscitur. Est igitur in ideis aliquid reale, quo veræ distinguuntur a falsis, nec tantum quatenus ad objecta, sed etiam quatenus ad sese referuntur, ex hoc aut illo genere sunt. Hæc propria essentia, qua idea per se ipsam absque objecto vera aut falsa est, nunc a nobis consideretur.

Cogitatio vera, proprie definita, ea est, « quæ essentiam alicujus principii objective involvit, quod per se et in se cognoscitur » : ita ut non ipsius objectum pro causa habeat, sed extra hoc objectum essentia formali prædita sit. Ad veritatem igitur aut falsitatem cogitatio absolute, nec tantum quatenus cum objecto convenit aut disconvenit, refertur; ejusque intrinseca essentia e sola intellectus natura determinari potest. Si fieret alicubi idearum summa, nulla objecta repræsentantium, possent tamen hæ ideæ veræ aut falsæ vocari. Fingamus enim intellectum aliquem, verbi gratia, Dei intellectum ante mundi

creationem, rei nondum existentis ideam concipere, atque ex hac conceptione rationalem idearum summam depromere : hæc summa vera esset, quanquam nullis rebus responderet. Certum est igitur cogitationem non ab objecto dependere, atque per se ipsam, quod ad verum aut falsum attinet, determinationem habere ; ita ut per ejus intrinsecam naturam, seu per intellectus naturam, veritas definiri debeat.

Quæ sunt igitur veritas et falsitas, quatenus ad ideam solam spectant ? Nihil, nisi vel convenientia, vel disconvenientia proprietatum, quæ de re affirmantur, cum rei ipsius definitione. Ita, cogitatio vera consistit in eo, quod de re nihil affirmatur, nisi quæ in ipsius notione involvuntur, falsa in eo, quod de re affirmantur proprietates ejusdem notione non implicatæ. Ex quo clare perspicimus, cur idea simplex non falsa esse possit ; nam idea simplex, ex ipsius definitione, nihil rei potest attribuere, nisi has demum proprietates, quarum summam enuntiat ; itaque in tali idea attributa subjecto plane adæquantur, falsitasque ab ea omnino secluditur. Ergo cunctæ ideæ simplices necessario veræ sunt ; ita ut perfecta veritatis nota simplicitas notionum sit, neque ulla notio non vera esse possit, nisi composita.

## XII

### DE IDEIS DUBIIS ; QUÆDAM CIRCA DEFINITIONES PRÆCEPTA

Restat ut tractemus de ideis dubiis, id est, ut determinemus quomodo in dubitationem inducamur, quomodo ab ea liberemur. Primum, nunquam ab objecto ipso procedit dubitatio ; si igitur in mente una idea, seu falsa, seu vera, foret, nunquam de ea dubitaretur, nihilque fieret in conscientia, nisi continua hujus ideæ sensatio. Incipiet autem dubitatio fieri, quum altera idea producetur, quæ non satis clara et distincta erit, ut aliquid ex illa de objecto prioris ideæ concludi queat : ita, ab obscura et confusa idea dubitatio nascitur.

Ex obscura idea procedens, dubitatio ex idea clara cessabit. Si quis igitur nunquam dubitare velit, satis est ut semper inquisitiones recte ordinet, nullo unquam dialecticæ concatenationis annulo omisso, et semper ideas claras et simplices reddere curet. Quum enim dubitare nihil est, quam ambigere num affirmare aut negare debeamus certam rem, quam extemplo aut affirmaremus aut negaremus, nisi nos præteriret aliqua notio, cujus defectu mutilatur nos-

tra rei cognitio, is nunquam dubitabit, qui nihil habebit, quod affirmet aut neget, nisi res quarum omnes partes plane noverit, id est, quas ideis perfecte claris concipiat. Quod autem ideas claras præbet, hoc est recte ordinata antecedentium idearum series : dubitationis igitur causa, non satis exactus in inquisitionibus ordo ; dubitationis remedium, perfectus in iisdem ordo.

Postquam determinavimus, quid sit idea vera, et quomodo ab aliis perceptionibus distinguatur, nobis statuendæ sunt regulæ, quibus claras et distinctas ideas reperire, et omnia ad notionum verarum imaginem concipere, possimus. Nobis ad talem finem tendentibus hæc generalis datur conditio, ut omnes res, seu per propriam essentiam, seu per proximas causas percipiamus. Etenim, omnia quæ existunt, aut per se, aut per aliam rem existunt : nos autem oportet, ut veras ideas de rebus, quæ per se existunt, habeamus, illas per ipsarum essentias, ut easdem de rebus, quæ per alias sunt, illas per proximas causas, concipere. Eo fit ut, si recte naturam cognoscere, et de omnibus effectibus, quos continet, ideas claras habere velimus, nequaquam res abstractas, et omnino intra mentem sitas, sicut sunt axiomata, considerare debeamus; nam axiomata, quum ad cuncta indistincte applicentur, singularem cujusque rei naturam nullo modo determinant, nobisque generales existentiæ conditiones, non proprias certæ rei causas ostendunt. His igitur ideis niti debet scientia, quæ res concretas et singulares

causas repræsentant ; optima conclusio ea est quæ sequitur ex « essentia particulari affirmativa », sive ex recta definitione.

Itaque, ut claras notiones de cunctis habeamus, necesse est ut nostras ideas e rectis definitionibus colligamus : hac omnino conditione fit inventio et scientia constituitur. Ergo, neque ideas claras formare, neque rerum causas cognoscere poterimus, nisi prius rectas definitiones rebus imposuerimus ; ita ut maximi ponderis sit ostendere, quibus ex legibus res recte definiantur.

Recta definitio in eo consistit, quod rei non singulas proprietates, sed essentiam summam enuntiet. Quum de abstractis rebus tractatur, hujus conditionis observantia non absolute necessaria est, possuntque sine gravi incommodo proprietates pro essentia considerari. Quum autem agitur de rebus concretis, non sine summo periculo hoc præceptum omittitur, nam tunc accidit, ut non consequentias a præmissis, ut jubet naturalis ordo, sed principia a consequentiis depromamus, ita ut evertatur scientia, et cognitio nulla fiat. Quod ut vitemus, has leges observare decet :

Quum res definienda ex creatis est, definitionis natura talis erit : primo, ut rei principium et totam essentiam exprimat, ejus proximam causam, hoc est, rationem ex qua rei esse depromitur, enuntiabit ; secundo, hanc proximam causam enuntiabit, quatenus ea ad rem consideratam refertur, seu quatenus rem potentia continet, ita ut ex causæ notione

effectus proprietates determinari possint. Ex quo sequitur definitionem rectam semper affirmativam esse : nam si negativa foret, non causam positivam, concretos effectus gignere valentem, exprimeret.

Quum res definienda ex increatis est, talia sunt præcepta : primo, definitio omnem causam omittet, remque per intrinsecam ipsius essentiam determinabit, quoniam de re agetur, quæ sibi ipsi causa est ; secundo, talis erit, ut nullum locum huic interrogationi relinquat : existitne res, annon? Sive talis erit, ut rei esse statuat, simul atque ejus essentiam definiat, quod manifesto necesse est, quoniam res definita esse involvit ; tertio, nullum substantivum continebit, quod adjectivari possit, id est, quod abstractum essendi genus exprimat, nam si ita fieret, non reale objectum, sed mera existentiæ forma definiretur ; postremo, rem ita enuntiabit, ut ex hac enuntiatione omnes rei proprietates depromi queant, nam sine hoc, definiti essentiam non daret.

## XIII

### QUOMODO SCIENTIA RATIONALITER CONSTITUATUR ; DE USU EXPERIENTIÆ

Has regulas si sequemur, de cunctis rebus cla-

ras ideas habebimus, inquisitionemque nostram ad veri normam dirigemus. Priore igitur scientiæ munere nunc fungi possumus, id est, distinctas notiones formare, et incognita ad ideæ clarissimæ effigiem concipere. Non autem satis est; nobis relinquitur, ut omnes veras ideas, seu sparsa veritatis fragmenta, colligamus, sicque scientiam constituamus, et in intellectu nostro logicam notionum seriem, naturali causarum seriei respondentem, ordinemus. Definitiones enim veras quidem, sed disjunctas totius existentiæ partes exprimunt: ad unam reducantur oportet, scilicet universi Entis definitionem. Quæque idearum certa sede in intellectus progressu locatur, quemadmodum quæque rerum in naturæ evolutione; non igitur naturam reipsa repræsentare, et integram mundi extra nos siti effigiem consummare, aliter poterimus, quam si ideas nostras ita componamus, ut se mutuo juxta dialecticum ordinem gignant. Ergo determinandum est quomodo multiplices scientiæ notiones in unam ideam, simul vividam et æternam, absolutam et actuosam, logico ipsius motu physicum universi motum reddentem, sponte convertantur.

Ut doceamur cunctas ideas sub unius conceptionis legem colligere, cujus explicatio illas ideas secundum præmissarum et consequentiarum ordinem progignat, quærendum est num sit aliquid Ens, quod velut omnium rerum causa concipiatur, ita ut hujus Entis idea ceteras ideas contineat. Si enim talem ideam reperiemus, hancque ad perfectam claritu-

dinem adducemus, jam perficietur nostrum propositum : nam satis erit cogitationem nostram ad illius Entis normam dirigere, omnesque ideas nostras ex hujus conceptione depromere, ut naturæ summam et partes noscamus.

Præterea, si tali modo procedemus, hæc, quam constituemus, scientia concreta erit et rebus ipsis adæquata : nam quum ex Entis, id est, ex Substantiæ actu existentis, idea profecti erimus, idearum nostrarum concatenatio, si satis stricte coarctabitur, nusquam abstractas et transcendentales notiones admittet; ex entibus ad entia necessario progrediemur, quoniam suprema conceptio, ex qua ceteras depromemus, idea erit Entis perfectissimi, nihil aliud in ipsius notione quam absolutum esse involventis. Itaque, inquisitionem nostram deducendo ab idea Entis, quod in se totam existentiam absorbet, non poterimus quin scientiam concretam constituamus, objectaque physica affirmemus, et notiones rerum singularium ex proximis causis formemus.

Hanc scientiæ recte constitutæ proprietatem paulo longius considerare oportet, ne auctoris nostri sensum vitiemus, et rationali cognitioni aliam efficientiam aliosque fines attribuamus, atque ipse. Quum res singulares et entia physica commemorat, contenditque intellectum, dum perfectissimam idearum explicat, illa cognoscere, num per talia verba intelligit hos plane singulares effectus, qui individua et facta constituunt, numque edicit nos horum effectuum cognitionem per puræ rationis progressum

attingere? Breviter, num experientiæ objecta censet a rationali scientia determinari posse?

A tali sententia longissime distat Spinoza; neque ulla ambiguitate profitetur, veritates quæ ad individua pertinent, et quæ perpetuis vicibus obnoxiæ sunt, ex causis multo compositioribus et multo densius inter se implicatis dependere, ut eas ex solo mentis impetu attingere possimus. Infinitus tantum intellectus, qui Ens totum adæquate conciperet, omnium causarum, omniumque relationum, quas inter se sustinent, ideas adæquatas formare posset, atque ita, etiam maxime singulares effectus determinare. Talis intellectus omnia, proprio sensu, in idea Dei intueretur, illique infinita entium multitudo, usque ad infimas naturæ particulas, in absolutæ Substantiæ unitate appareret. Nostram vero mentem hic partium in toto intuitus transcendit : quid igitur est, quod ex ratione invenire possumus? quæ sunt illa entia physica, quibus in intellectu nostro respondent ideæ a Dei notione depromptæ? quousque rerum accedit mens nostra, proprio motu impulsa, nec sensibus nixa?

Quas essentias ratione reperimus, et quas deductiva scientia pro objectis habet, hæ non sunt mutabilia et contingentia facta, quæ in rerum natura sub nostris oculis ponuntur, sed fixæ et æternæ res, quæ illa sustinent et multiplicibus propriæ naturæ affectionibus producunt; sunt immutabilia elementa, e quibus constant omnes contingentes existentiæ, et quæ, dum ad infinitum variantur et inter se com-

miscentur, mundi, quatenus experientiæ objicitur, mobilem speciem ostendunt. Hæc data rerum materia, hæ constantes partes, quæ in singularibus individuis involvuntur, et ex unis in altera transmeant, integra ipsarum natura manente, hæ incorruptæ proprietates quæ, diversissimis modis sese informando, sensibiles essentias expromunt : has demum scientia cognoscit, earumque intrinsecas naturas, necessarias leges, certas relationes determinare valet. Singularia autem et temporalia facta, quæ ex illis procedunt, purum intellectum prætereunt ; neque nobis datur, certo temporis momento, ex ratione determinare, quas reales formas illæ necessariæ relationes et universæ leges in existentiam adducant, quibus modis hæc æterna attributa afficiantur, ideoque, quæ sit præsens mundi figura. Data nunc rerum natura, scimus quæ sint in ea, quibusque causis hi, quos nunc contineat, effectus producantur; quid autem nunc reipsa sit, non scimus, quia ignoramus quomodo hæc, quæ in ea sunt, nunc sint, quomodo causæ, quæ ejus esse statuunt, nunc agant.

Ita, concreta naturæ elementa, seu infinita Substantiæ attributa, legumque summa, quæ ex eorum natura sequuntur, hæc sunt, quæ rationalis scientiæ objectum constituunt, hic est, quem intellectu imitari possumus, ordo ; sive, generalibus his verbis res veras substituendo : Cogitatio et Extensio, Cogitationis et Extensionis leges, hoc demum ex idea Dei depromi potest ; singulas vero affectiones, quas Cogitatio et Extensio ex ipsarum intrinsecis legibus

accipiunt, experientia sola nos docet. In summam, Cogitatio per universas proprietates considerata, Extensio per absolutam essentiam concepta, Cogitationis et Extensionis leges immutabiles, quatenus ex earum essentia sequuntur, atque cunctis spatii locis, cunctisque durationis momentis, mutuas aut intrinsecas animarum et corporum relationes determinant : hæc est mera philosophiæ materia.

Hoc intelligitur qua sententia rationalis disquisitionis objecta a transcendentalibus notionibus distinguantur, et res concretæ vocentur. Vere nobis entia physica et positivæ inter ea relationes nobis ab illa traduntur : quæ entia omnibus rebus substant, quæ relationes omnes naturæ status efficiunt. Non autem putandum est, innumeris horum entium modis, vel infinitis harum relationum effectibus mentem per dialecticum progressum occurrere : quomodo hoc fieri possit, quoniam in tempore cogitamus, primumque nostræ intelligentiæ esse nihil aliud est, quam certus absolutæ Cogitationis modus ? Ut valeremus, proprio nostræ mentis motu, mundi formas ex ordine perlustrare, opus esset ut ab origine rerum moveri cœpissemus, id est, ex æternitate, id est, nunquam cœpissemus æternique essemus. Quum contra temporales et creati simus, singularium veritatum seriem non aliter comprehendimus, quam nos illis vicissim applicando, sive illas sensibus percipiendo. Ita, intellectus evolutione naturæ ordinem reddimus, sed tantum quatenus per æternas essentias et necessarias leges definitur. Hæ sunt fines, intra quas jacet

rationis objectum, scientiaque deductiva nascitur et crescit.

Quoniam autem non intellectui puro dantur experientiæ objecta, sunt profecto, juxta methodum et scientiam quæ ab intellectu defluunt, alteræ methodus et scientia quæ ad experientiam spectant. Aliis verbis, ut scientia integra sit, et nobis rerum singularium per proximas causas cognitionem præbeat, aliis artibus uti debet, ac rationalibus, et quod per has incepit, per illas conficere. Quod Spinoza manifesto sub Tractatus fine declarat; neque dubitat, præter deductionem et syllogismos, inductionem et experimenta, velut scientiæ instrumenta, admittere. Itaque fatetur methodi disciplinam non integre statui posse, nisi præcedentibus disquisitionibus adjiciantur alterius generis examinationes, quibus doceamur « nostris sensibus uti, et experimenta certis legibus et ordine facere, quæ sufficient ad rem, quæ inquiritur, determinandum ».

Non igitur satis est, ut verum noscatur, mentem ad ideæ veræ normam dirigere; oportet quoque illam sensibiliter rebus singularibus admovere. Necessariæ æternarum essentiarum leges, ab intellectu determinatæ, nobis non res totas ostendunt, namque earum tantum communia elementa et uniformem materiam involvunt, non vero singulos elementorum modos et varias materiæ formas explicant. Haud dubie igitur Spinoza experientiam et sensibiles, quæ ad eam pertinent, artes pro legitimis scientiæ partibus et necessariis inventionis organis agnoscit;

hisque prudenter puræ Cogitationis instrumentis additis, rationalis methodi expositionem terminat.

Talia sunt ædificandæ scientiæ præcepta, tales veritatis inveniendæ et dialectices instituendæ leges. Has leges qui recte intellexit et diligenter servabit, is necessario mentem ad veritatis normam reget, logicum notionum ordinem reali æternarum essentiarum ordini assimilabit, et rerum causas cognoscet. In summam, hæc vicissim examinavimus : primo, quid sit Cogitatio per se, id est, in Deo ; secundo, quid sit animus humanus, eumque cogitationis capacem esse ; tertio, quæ sint cogitantis in homine partis, sive intellectus, proprietates, et qua natura summus ejus finis, hoc est, scientia, præditus esse debeat ; quarto, quibus artibus hunc finem attingere possimus. Ergo omnia, quæ in spinozana logica naturaliter quærantur, inspeximus, et totam cogitandi artem constituimus : sub quibus legibus, per quas facultates, ad quem finem et ex qua ratione cogitandum sit, ostendimus.

## XIV

### QUEM LOCUM DIVINA COGITATIO IN HAC LOGICA OBTINEAT

Priusquam autem hoc opusculum terminemus, decet illi quasi naturale fastigium imponere, atque ad

hoc, varias spinozanæ logicæ partes ex uno prospectu considerare, centrumque definire, ad quod referuntur et a quo simul aspici queunt, tandem fundamentum quo stabiliuntur, et fontem ex quo defluunt, determinare. Summorum igitur nostræ logicæ principiorum, vel absolutarum veritatum, ex quibus consequitur, inquisitio huic logicæ novissimam partem ultimamque conclusionem afferet.

Hæc principia ad binas propositiones reducenda esse nobis videntur, quæ propositiones se mutuo involvunt, unamque veritatem exprimunt. Primum, tota Spinozæ logica, ut ab initio monstravimus, a metaphysica procedit, et ex absolutæ Cogitationis definitione dependet. Cur enim cogitat homo, et scientiæ capax est? Quia Dei ideam habet. Cur autem Dei ideam habet? Quia Deus cogitans, qui idem est ac Dei idea, in eo versatur, vel quia Deus in eo cogitat, vel tandem quia homo Dei modus est, Deus vero cogitat. Deus cogitat, hoc est igitur, ut nobis videtur, prius logicæ spinozanæ principium. Quæ est vero causa, ob quam Deus cogitat? Cur perfecta cognitio in eo consummatur, ita ut possit homo hujus particeps fieri? Deus res ex æternitate et necessario cogitat, quia ex æternitate et necessario absolutus idearum ordo absoluto rerum ordini adæquatur, quia esse et intelligi in una Substantia confunduntur, cui dupliciter attribuuntur. Ergo idearum et rerum æqualitas, hoc est secundum spinozanæ logicæ principium. Quæ bina principia recte interpretari et sedulo disquirere conemur.

Ut prius principium interpretemur, a secundæ Ethices partis propositione 47 proficisci aptum est : « Mens humana adæquatam habet cognitionem æternæ et infinitæ essentiæ Dei. » Quoniam mens humana Dei essentiam adæquate cognoscit, corpus autem et sese, quatenus cum corpore jungitur, inadæquate, quum vero intima mentis proprietas cognitio sit, mensque, dum non cognoscit, quasi mutiletur et a se ipsa alienetur, sequitur mentem humanam propriæ definitioni non respondere, nisi quatenus Dei ideam habet. Est igitur mens nostra, ex definitione, Dei idea seu cognitio; et quæ mens in nobis corpus et proprias impressiones sentit, adulteratur, et in se cum cogitatione alteram essentiam commiscet : cogitare, hoc est Deum concipere.

Hæc autem, quæ Deum cognoscit, mens nihil est, nisi Deus ipse, quatenus cogitat : nam idea rei infinitæ et æternæ tantum infinito et æterno Enti attribui potest, quoniam formalis rei essentia in ejusdem idea objective versatur, idcircoque infiniti idea ipsa infinita est, certusque infiniti Entis modus. Aliter, Deus solus sui ipsius adæquatam ideam habere potest. Itaque, si mens humana, per intimam proprietatem considerata, Dei idea est, mens humana, juxta hanc proprietatem, cum Deo confunditur. Ergo, quatenus cognoscimus, Deo cogitanti adæquamur : Deus est quasi supremus locus, ubi omnes finitæ mentes in unum colliguntur, et eodem fundamento stabiliuntur; neque alia sub conditione notiones com-

munes ab omnibus concipiuntur, et principia scientiæ præstantur.

Ita mens humana, absolute definita, non aliud est quam Deus cogitans. Quæ est igitur ista mens, quam sub sensibilis animi vocabulo descripsimus, quæ corpori apta est, ejusque modos serviliter repræsentat? Mens est humana, quatenus non Dei ideam habet, id est, non integre mens est. Dei ideam ab animo tolle : jam is nihil fit, nisi mera passivarum corporis affectionum imago, cæca sensationum series, a se ipsis alienarum, nec quæ composite ordinari queant ; omnis veritas, omnis methodus, omnis scientia vanescunt. Contra, Dei ideam in animum induce : tunc is cognoscere, tunc ideas adæquatas formare, et juxta rerum ordinem notiones connectere valet ; nascitur veritas : scilicet illius animi objectum ; methodus sponte constituitur : nempe ejusdem naturalis ex intrinsecis legibus evolutio ; scientia necessario fundatur : nimirum talis evolutionis effectus.

Mens igitur universæ naturæ, quatenus idea Dei est, adæquatur, tota intra proprii esse fines, quatenus idea corporis, continetur ; verarum cognitionum et objectivarum idearum capax, quum priori modo statuitur, quum secundo, confusas impressiones et formales fictiones in se tantum admittit. Sicut esse totum in universis rebus, id est, in Deo atque in ejus necessariis attributis, versatur, modi autem nihil per se sunt, propriamque existentiam ab illis attributis, quæ vicissim afficiunt, quasi mutuantur :

ita veritas universi intellectus mera proprietas est, contingentesque illius determinationes inania tantum sunt signa, quibus is intellectus exprimitur. Nihil intelligitur, nisi a ratione, quia nihil est, nisi quod rationi objicitur. Individua universi Entis potentiam exhaurire contendunt : quidquid autem nituntur, nihil efficiunt, substatque illud æterno integrum, infinitam fecunditatem sub hac immensa specierum diluvie reservans. Eodem pacto, sensationes absolutæ Cogitationis essentiam in finitas formas inducere conantur : quibuscumque vero modis variantur, quacunque pertinacia impressiones impressionibus addere, et affectionum catenam extendere obstinant, nunquam adæquate perfectam Cogitationem exprimere valent, quæ extra sensibiles ipsius effigies immutabiliter vera perdurat. Sensus verba rationis in propria vocabula vertunt : at fallax est translatio, ideoque semper integranda ; sola ratio potest, visus a mendacibus, quibus deformatur propria effigies, imaginibus avertendo, ad se reflectere, et recto intuitu ipsius naturam contemplari.

Hæc intellectus oscillatio, nunc externa apprehendentis et in propriis modis projecti, nunc ad se ipsum reflexi et intrinsecam essentiam captantis, efficit ut in duplici statu noster animus collocetur. Dum animus extra se porrigitur, et se tanquam passivum et sensibilem statuit, nulla attingere potest, nisi res mutabilium ipsius affectionum vicarias, hoc est, contingentia facta : sic igitur neque ipsum neque res veras cognoscit; nihil ante oculos habet, quam innu-

merarum imaginum fluitantem summam, nulla rationali necessitate conjunctarum, ideoque esse, tanquam videri, percipit; se ipsum sentit velut incertorum modorum seriem, qui se mutuo detrudunt et inter se confunduntur; a rebus, a se alienus, mobilis est inconnexarum specierum repercussio; neque Ens, neque Cogitationem noscit; non cogitat, non est. Dum autem ad se revertitur, se tanquam Dei ideam affirmat et totum ad actum adducit, tunc omnino contraria fiunt : immotum et certum objectum claris et adæquatis ideis intuetur; per se ipsum constitutus et quasi se ipso plenus, ex cognitione, quam de propriarum idearum veritate possidet, suæ simul existentiæ conscientiam obtinet; se velut unum et actuosum cognoscens, propriorum modorum concatenationem statim percipit, et naturalem evolutionis suæ ordinem, simul atque evolvitur, aspicit; resque seque apprehendens, rebusque sibique aptus, certa certæ rei fit cogitatio, necessaria realis objecti repræsentatio; Ens et Cogitationem concipit; vere cogitat, vere est.

In hunc statum animum inducere, ex illo depellere, methodi propositum est. Non sit prior animus, hoc negative methodus edicit, passivam cogitationem usurpato dominio detrudens; sit alter animus, hoc affirmative methodus jubet, actuosæ cogitationi viam aperiens. Etenim, quum semel intellectus sui ipsius, id est, ideæ Dei, compos factus fuerit, delusionibusque contingentis naturæ rejectis, proprium objectum, inque hoc, se ipsum, conceperit, jam nihil habet, quod

efficiat, nisi per intrinsecas proprietates explicari; neque amplius illi locus datur ambigendi, num rerum evolutionem, sese explicando, exacte repræsentet : a vero profectus, non potest quin ad verum perveniat. Sic idea Dei, communi mentis humanæ et Dei essentiæ puncto, nititur methodus et stabilitur scientia. Cognitionem constituere nihil est, nisi huic ideæ quasi vocem humanam præbere, nisi Deo cogitanti, qui omnibus conscientiis inest, dare ut in conscientiis juxta æternæ logicæ leges vivat, et juxta dialecticum progressum moveatur. Non homo scientiam creat, sed Deus, quatenus homine inest; namque, etiam atque etiam, idea Dei in nobis non abstractum aliquid, non vana rei extra nos sitæ repercussio est, sed vis actuosa, seu infinitus ipse intellectus, concrete et formaliter præsens. Deus in nobis, per ipsius ideam, versatur : hoc est scientiæ, quatenus fieri potest, principium; Deum in nobis agere et ostendi sinamus : hæc scientiæ, quatenus constituitur, suprema lex.

Dum enim divinus intellectus in nostra mente aget ac vivet, ante oculos idearum seriem, ex ordine explicatam, habebimus; Cogitatio, ab externo dominatu liberata, proprios fructus ultro proferet, id est, veritatem. Sic intelligibile totum in nos penetrabit, infinite evolutum ac indissolubiliter unum; humanaque conscientia huic divinæ evolutioni quasi locum præstabit, sive fiet delecta, in qua Deus cogitabit, sedes. Hæc autem Dei cogitantis explicatio necessario Dei extensi evolutionem reddet, quoniam Deus cogitans

et Deus extensus unum et idem sunt, quodque per logicam idearum seriem ille depromit, is per physicam causarum seriem efficit. Dum Deus intra nos cogitat, extra nos extenditur; non potest igitur quin veros extensionis modos in nobis repræsentet; neque nos æterno deludit, sed necessario docet, quia non is est, qui infinite imaginatur, sed is, qui absolute scit. Quod nobis velut rationalem inter rerum ideas concatenationem offert, in mundo velut mechanicam inter res ipsas concatenationem objicit : tot ideæ, tot res; tot rationes, tot causæ. Itaque, hoc summa certitudine pro comperto habere possumus, partes quæ in nobis objective aguntur, exacte partes, quæ extra nos formaliter aguntur, reddere. Deus nos non fallit, quia nos non fallere potest; nobis veram realis universi effigiem offert, quia omne, quod cogitat, efficit, omne, quod efficit, cogitat.

Hoc intelligitur qua sententia dici possit, juxta spinozanæ logicæ præcepta, hominem Deo adæquari, et quomodo, ex his præceptis, individuæ mentes ad æternam Cogitationem referantur. Quod in nobis Deo cogitanti assimilatur, id non est corporalis hominis pars, cujus sensationes et imagines secundum rerum externarum ordinem producuntur, et fortuitos motuum circum corpus effectorum concursus reddunt; est contra intellectualis pars, cujus modi rationaliter concatenantur, et quæ ad ideæ veræ normam dirigitur. Tu non Deo assimilaris, nisi quatenus concipis et ratiocinaris, nequaquam quatenus sentis et imaginaris; cogitatio tua tunc solum abso-

lutæ Cogitationi adjungitur, quum naturalem rerum ordinem dialectice determinat; neque unquam in te Deus vivit, nisi quum cognoscis et scientia frueris. Imo, quum hac sub lege semper cogitamus, ut id, quod in Deo unum est, nobis tanquam divisum et multiplex appareat, ideasque veras ex temporis ordine colligere cogamur, quem ordinem veritas per se transcendit, sequitur ut reipsa a Deo distinguamur, etiam quatenus cognoscimus, et nostrum esse, vel mere rationale, a Dei cogitantis esse separetur. Dialectica igitur hominis existentia, atque ea, sub conditionibus modo enuntiatis, cum intellectuali Dei essentia confunditur; ad hanc vero nostra sensibilis existentia nequaquam refertur. Breviter, quum Deus, quatenus cogitat, æternus sit idearum ordo, non possumus iidem fieri ac Deus, nisi quum illi ordini adæquamur; quoniam, quum cogitas, Deus in te cogitat, ut Deus in te sit, te cogitare oportet.

Tali ratione nobis quam clarissima, eademque quam maxime exacta, priori logicæ spinozanæ principio interpretatio adjungi posse videtur. Ita veritas, id est quod Deus in nobis cogitat; scientia, id quod Deus in nobis scit; certitudo, id quod Deus in nobis affirmat. Quod autem Deus in nobis cogitat, scit et affirmat, hoc est ipsius idea, naturaliter explicata, dialecticaque evolutione id repræsentans, quod Deus extensus in rebus efficit. Est igitur ideæ Dei disquisitio, instrumentum, nostræ cogitationis divinæ Cogitationi adjunctio, finis propositus. Ut verum Cognoscamus, nos oportet idem cogitare, ac Deus, quoniam

Deus cogitans solus verum cognoscit ; id autem, quod Deus cogitat, nihil est, nisi explicata Dei idea ; ergo, ut idem, atque Deus, cogitemus, sicque verum cognoscamus, oportet ut explicatam Dei ideam cogitemus, id est, ut hanc ideam juxta rationalem ordinem explicemus. Hoc tota methodus, tota logica continetur.

## XV

### IDEARUM ET RERUM CONGRUENTIAM IN DUAS SENTENTIAS ACCIPI, QUÆ AD UNAM REDUCI DEBEANT

Alterum spinozanæ logicæ principium, id est, causarum et rationum reciprocitatem, seu rerum et idearum æqualitatem, clarissime enuntiat hæc Ethices propositio : « Ordo et connexio idearum idem est, ac ordo et connexio rerum ». (Ethice, II, 9).

Quid valet hæc assertio, et quæ est illa binorum idearum et rerum ordinum congruentia ? Huic interrogationi extemplo respondere non promptum est ; nam videtur nostra propositio duos contrarios sensus apud auctorem vicissim admittere, non palam apud eumdem facto, qua ratione conciliari possint. Etenim, sæpe huic principio Spinoza plane rationalem

significationem adjungit, et per idearum et rerum convenientiam hoc intelligit, scilicet mentem, quum ab idea Entis perfectissimi proficiscitur, et omnia, quæ continet, depromit, naturalem causarum ordinem, ex Ente perfectissimo defluentem, reddere, sive dialectico progressu physicum universi progressum imitari, et, sicut natura effectus effectibus connectit, ita propositiones propositionibus connectere. Hac igitur sententia exprimitur intelligibilis rerum ordinis cum intellectuali idearum ordine congruentia, id est, veritatis fons et scientiæ fundamentum. Quemadmodum effectus ad causam refertur, ita conclusio ad præmissas ; vis rationalis, qua formantur ideæ, et vis physica, ex qua res defluunt, plane assimilantur ; productionem deductio refert, supremum intelligibile summæ intelligentiæ adæquatur. Talis est mere rationalis principii sensus, quem adhuc semper ei adjunximus, quotiescumque de eo mentio facta est.

Est autem altera, plane sensibilis, interpretatio, quam Spinoza obiter introducit, et cui haud dubie, in passivi animi descriptione, assentire videtur. Quod enim est hujus descriptionis principium ? Scilicet mentis modos cum corporis motibus absolute convenire, illorumque concatenationem mechanicam horum seriem reddere. Hìc igitur nova sententia enuntiatur idearum et rerum æqualitas, nihilque jam significat, nisi temporalem corporalium affectionum seriem cum mentis impressionibus congruere, binas series simul fieri et pari tractu explicari, breviter, cogitationem a corpore dependere. Quid autem nunc

prior principii sensus valet? Manifesto nihil; nam corporalium motuum concatenatio non semper ea est, ut idearum, quæ illis respondeant, series logica sit et rationalis; non perpetuo nostrum corpus ita movetur, ut, secundum impressiones ab eo ortas, dialectice ratiocinemur; neque continuo ante oculos habemus adæquatam universi effigiem, æternumque causarum cursum. Ergo discrepat rerum ordo, quum ita intelligitur, ab idearum absoluto ordine, nec amplius verum est principium nostrum, quatenus in logicum sensum accipitur. Non igitur intelligibilis et intelligentiæ communitas nunc asseritur, sed motus et conscientiæ, seu physicæ in corpore et subjectivæ in animo machinationum æqualitas; non profert Spinoza mentem, dum juxta rationalem ordinem progreditur, naturalem causarum progressum imitari, sed eam, dum sentit, imaginatur, appetit, corporis variationibus submitti, eamdem, quos ei modos conscientiæ expertes corpus transmittit, in conscientiam vertere, denique objectivis motibus subjectivam speciem addere.

Ita rerum et idearum æqualitas in duas oppositas sententias et accipi potest, et apud Spinozam accipitur : quarum una, plane rationalis, absolutæ Cogitationis leges cum universi Entis legibus consentaneas esse exprimit (quo fundamento deductiva scientia stabilitur), altera contra, plane physica, mentis modos corporis modis respondere enuntiat (quo principio mentalis mechanica et sensibilis cogitationis doctrina fundantur).

Num autem fieri potest, ut auctor noster sibi ipsi tam graviter repugnet? Num fieri potest, ut illi principio, quod summum ipsius doctrinæ fulcimen jure vocaretur, duas contrarias interpretationes adjunxerit, ne ulla quidem de hac duplicitate mentione facta, nulloque indicio lectori dato, ex quo nodum expedire possit? Mirum profecto esset, subtilissimum et severissimum dialecticum talem defectum non animadvertisse, optimæ fidei philosophum ambages pro argumentis proposuisse, tenacissimum systema æquivoca enuntiatione niti. Oportet igitur principio intimum aliquem et absolutum sensum inesse, nos adhuc prætereuntem, ad quem duplex interpretatio referri queat; aut saltem, unam ex his duobus, quas distinximus, sententiis veram et legitimam esse, alteram autem tantum minorem quamdam, et quæ ad priorem reduci possit. Nullo modo nobis credendum est Spinozam in propria doctrina, vel negligentia vel imprudentia, tam gravem contradictionem reliquisse, qua totius ædificii honos tolleretur et soliditas labaret; hoc persuasum habemus, alicubi oppugnantiæ conciliationem versari, nos errare et decipi, dum hanc non percipimus, nosque eam quærere, eam reperire debere.

Quum huic difficultati accurate attendimus, nobis videmur ita nodum soluturi esse, si considerabimus quas partes æqualitatis idearum et rerum axioma in spinozanæ doctrinæ expositione obtineat, et quas ob causas philosophus, adjuncta illi certa interpretatione, secundam ei attribuat. Quod est enim hujus axio-

matis, in qua Ethices parte enuntiatur, proprium officium? Nihil aliud, quam mentis humanæ doctrinæ, cui protinus præcedit, principium præstare. Cur autem Spinoza illud, in logicam sententiam primo acceptum, in physicam paulo post accipit? Ut ad sensibilis animi descriptionem applicari possit. Ita, rerum et idearum æqualitas nihil aliud apud Spinozam vult, nisi methodicam mentis disquisitionem fundare et regere, tuncque sensibiliter et corporaliter intelligitur, quum de mente agitur, quatenus sentit et cum corpore jungitur.

Quo notato, nonne jam clare percipimus, ubi sit ea, quam persequimur, conciliatio? Quoniam, ut Spinozæ placet, duo sunt in homine animi, quorum unus sentit et patitur, alter agit et cognoscit, nonne sequitur axioma, quod animi doctrinam fundare pro munere habet, necessario duplicis sensus capax esse et duplici aspectu apparere, prout ad unum aut alterum animorum spectat? Quoniam vero legitimum animum non alium vult esse Spinoza, nisi rationalem et divinum, nonne patet legitimum axiomatis sensum non alium quam rationalem esse? Sicut passivus animus nihil est, nisi mens mutilata et a se ipsa alienata, ita mechanicum motus et conscientiæ æqualitatis principium nihil est, nisi deformata et ad sensus translata hujus principii effigies, quod causarum et notionum in infinita Substantia æqualitatem exprimit. Quum mens humana duas in partes dividatur, una quarum corpus spectet, altera Deo apta sit, necesse est enuntiationem, a qua dependet mentis

scientia, duas in sententias accipi, quarum una ad sensus pertineat, altera ad purum intellectum ; quum autem secunda mentis pars sola actuosa et realis sit, dum prior eam confusa tantum effigie imitatur, secundus enuntiationis sensus solus verus est, priorque hujus tantum deformata translatio est, ad deformati objecti considerationem adhibenda.

Ergo videtur hæc, quam agitamus, quæstio jam peracta esse, et locus, quo naturaliter cessat contradictio et in unitatem convertitur duplicitas, exacte determinari. Quatenus mens velut passiva et cum corpore juncta consideratur, principium, quo stabilitur mentis doctrina, sensibiliter et physice intelligitur ; quatenus velut actuosa et cum Deo juncta, rationaliter intelligitur. Locus vero, in quo oppositi sensus in unum cadunt, idem est ac locus, in quo contrariæ mentis partes sibi mutuo aptantur : Deus scilicet, seu absoluta Substantia simul per corpora et per animas explicata, et, reciproca propriæ evolutionis duplicitate , duplicem binarum serierum æqualitatem constituens.

Hæc duarum nostri principii interpretationum oppugnantia, hæcque eas conciliandi ratio, in quodam secundæ Ethices partis loco distincte nobis videntur exprimi. Etenim, in propositionis 18 scholio, postquam memoriam juxta mechanica principia explicavit, eamque reduxit ad idearum concatenationem, quæ secundum corporis motuum ordinem producuntur, statim talem idearum concatenationem distinguit ab altera illa concatenatione, quæ secundum rationis

ordinem efficitur, et quæ naturali causarum ordini adæquatur. Ita, conscientiæ modorum in animo humano series a notionum in infinito intellectu serie separatur ; clare profertur, passivum idearum in sensibili natura ordinem, cujus naturæ homo nihil sit, quam pars quædam, non eumdem esse, atque actuosus idearum in divina cogitatione ordo. Quæ lex hunc regit, ea est quæ præmissarum cum consequentiis relationes exprimit; quæ vero illum, ea est quæ effectuum a causis secutionem enuntiat; vel potius, passiva idearum series nulla propria lege regitur, nec juxta intrinsecum ordinem explicatur, sed tantum corporalium motuum seriem, causarum axiomati subjectam, cæce et fortuito reddit. Ergo, nullæ jam sunt, in temporalis mentis progressu, rationales relationes, et causarum lex una est, quæ omnia contingentia facta regat, ex quocumque genere sint. Breviter, in natura sic definita, res physicæ solæ veræ sunt, res intellectuales nihil sunt, quam inanes earum repercussiones : illæ tantum propriis legibus parent et sponte sua ordinantur ; hæ juxta priorem ordinem efficiuntur, nequaquam per intrinsecam necessitatem ad existendum determinatæ, nulla propria lege, id est, nulla libertate fruentes.

Binos autem principii sensus distinguendo, eo ipso Spinoza nobis ostendit, cur distingui possint, ideoque, quomodo concilientur. Etenim, si principium in duas sententias accipitur, logica quarum a physica omnino separatur, sunt profecto duo idearum ordines, quorum quemque quæque sententia pro sua parte regit ;

est, juxta physicam in creatis mentibus conscientiæ modorum concatenationem, logica in increato intellectu idearum series, ad quam proprie rationalis principii sensus applicetur. Itaque, ex eo solo, quod principio sensibilem interpretationem adjungit, Spinoza cogitur in eo duos sensus distinguere ; ex eo autem, quod duos sensus distinguit, puram idearum regionem admittere, in qua valeat hæc significatio, quæ in rerum natura cadit in irritum, seu cogitationem quamdam pro vera agnoscere, in qua logicæ leges proprios dent effectus, rationem tandem esse profiteri, quæ rationaliter explicetur. Postquam philosophus rerum et idearum æqualitatis axioma logico sensu, enuntiavit tunc non potest eidem physicam interpretationem adjungere, nisi simul implicet regionem, cui hæc secunda interpretatio admoveri possit, non solam realem esse, alteramque existere, in qua princeps et propria axiomatis sententia vera sit. Ergo, præter physicam cogitationem, physicarum rerum effigiem, est logica cogitatio, purus intellectus effectus : idearum libera evolutio et intrinseca series, a sensibili natura seclusæ, in intelligibilem mundum rejiciuntur, quem sic verum esse declarant.

Ita, ob eam causam duo principii sensus distingui possunt, quod duæ sunt cogitationis partes, et in quaque earum principium consentaneam sententiam accipit. Quod igitur oppositos sensus conciliat, nihil aliud est quam hoc, quod efficit duas partes unum et idem esse : nimirum Substantia absoluta, quæ necessario ex intrinsecis legibus evoluta, in se ipsa mecha-

nicam causarum seriem et logicum notionum ordinem progignit; seu Deus, quatenus Cogitationis attributum cum Extensionis attributo jungit, ideisque omne repræsentat, quod reipsa producit, et juxta æternæ logicæ leges velut absoluta Cogitatio discurrit, simul atque juxta universi motus leges velut Res absoluta extenditur.

Sic nobis videtur Spinozæ cum se ipso discrepantia vanescere. Ergo, quem legitimum idearum et rerum æqualitas sensum accipit, is omnino nullus esse potest, nisi rationalis, quo exprimitur intellectus cum rebus congruentia, et statuitur deductiva scientia. Alter autem nihil est, quam vitiatus sensus, quo axioma ad experientiam deducitur, et tali induitur forma, ut animi sensibilis doctrinæ principium præbere queat. Itaque jure dici potest, ad hoc tantum Spinozam novam significationem introduxisse, ne mentis humanæ doctrina in duas scientias scinderetur, quarum unaquæque proprio fundamento staret; neque aliam ob causam a primitivo sensu detraxisse id principium, quo niti deberent rationalis animi descriptio et totius logicæ institutio, nisi ut vitaret alteram enuntiationem pro principio proponere, quum de mente, quatenus idea corporis est, tractaret. Sicut mens, etsi proprietatibus diversis prædita sit, essentia est una, ita mentis scientiæ principium unum esse debet, neque aliter variari, quam specie et habitu. Oportet igitur eamdem propositionem ad totam mentis descriptionem admoveri posse, ideoque, quum ad sensibiles mentis proprietates applicatur, certam recipere for-

mam, primo aspectu cum priore repugnantem, qua naturaliter et essentia, velut ad rationales proprietates applicanda, prædita est. Quemadmodum autem, e duobus proprietatum generibus, hæ tantum Cogitationis definitioni respondent, et scientiam constituere valent, ita logica axiomatis sententia sola legitima est, solaque quæ absolutæ Cogitationis naturam adæquate exprimat.

Hæc nobis notari digna visa sunt circa secundum principiorum quæ spinozanæ logicæ attribuimus. Ad summam, duplex illius logicæ fundamentum, seu duplex principium, ex quo ejus essentialis causa, naturalis ordinatio et suprema significatio determinari queant : hoc est absolutæ Cogitationis principium, rerum et idearum æqualitatis axiomati junctum. Hic jacet centrum, a quo objecti nostri partes et summam simul prospicere possumus, et ita operi nostro unitatem conferre : quoniam vero, ut assuetis Spinozæ verbis utamur, quod nobis rei cognitionem præbet, sive quod nobis dat ut hanc rem per proximam causam determinemus, et ejus proprietates ex essentia depromamus, non aliud est quam recta rei definitio, hoc duplex principium adæquata spinozanæ logicæ definitio vocari potest, ideoque hujus opusculi naturale fastigium, et inquisitionis nostræ certus terminus.

## XVI

### CONCLUSIO

Nunc autem, num hæc bina principia reipsa inter se distinguuntur, et separatim duas veritates exprimunt ? an potius ad unum reduci possunt, et unam infinitam veritatem ex contrariis prospectibus patefaciunt ? Ita sane est. Quid est enim rerum et idearum æqualitatis principium, nisi necessariæ legis nomen, cujus Deus cogitans æternus est effectus ? Rursus, quid est Deus cogitans, nisi concreta et actualis determinatio hujus abstractæ necessitatis, ex qua cautum est idearum ordinem rerum ordini adæquari, et nihil in existentiam adduci, quin simul cogitetur ? Ergo intellectualis Dei essentia cum æterna, de qua dependet, lege confunditur : divina Cogitatio, indeterminataque potentia, ex qua procedit et quam ad actum vocat, una res sunt, contrariis sensibus definita. Ad Deum cogitantem, velut ad necessariam conditionem, refertur idearum et rerum æqualitas, quæ veritatem in illius existentia tantum obtinet ; ad idearum et rerum æqualitatem eodem titulo refertur Deus cogitans, qui nullus esse potest, nisi per illius fœderis efficientiam. Nullam ob causam Deus cogitans existit, nisi quia na-

tura præscribitur, ab idearum ordine rerum ordinem reddi; non alia sub conditione idearum ordo rerum ordinem reddit, nisi quia reipsa existit Deus cogitans. Jure, ideæ res reddunt; facto, Deus cogitans existit : quum vero jus et factum in absoluto esse non distinguuntur, Deus cogitans et rerum idearumque æqualitas unam essentiam constituunt.

Non sunt igitur duo principia, sed unum, non duæ veritates, sed veritas duplex, quæ universam Cogitationem, modo sicut infinite et necessario potentialem, modo sicut absolute et æterno actualem, repræsentat. Potentialis, quatenus per intelligibilem universarum rerum naturam concipitur, actualis, quatenus per positivum perfecti intellectus esse, illa Cogitatio dupliciter in mundo et in scientia fit ; tum, tanquam realis idearum simul verarum summa, quæ indissolubiliter inter se conjunguntur ; tum, tanquam possibilis idearum ex ordine concipiendarum concatenatio, quarum ordo fixus est : sub priore specie, nihil est quam ratio absoluta, seu Deus cogitans ; sub secunda, nihil quam absoluta logica, seu scientia perfecta. Ita, intellectus et methodus, Deus et scientia, opposita sunt et sibi respondentia unius Essentiæ elementa, ex mutuis reciprocarum naturarum relationibus demum constitutæ : quæ Essentia imum est mentis humanæ fundamentum, summum cognitionis principium et ultimus logicæ finis.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XII kal. decembr. ann. MDCCCLXXXIII.

*Facultatis Litterarum in Academia*
*Parisiensi Decanus*,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

*Academiæ Parisiensis rector*,

GRÉARD.

# INDEX

Paginæ.

I. De logicæ apud Spinozam fine et natura ....... 1

II. Perfectæ in Deo Cogitationis descriptio ........ 5

III. De mentis humanæ, quatenus idea est corporis, perceptionibus ........................ 11

IV. Rationem unicum veritatis fontem esse......... 22

V. Quæ sint notiones communes : num Spinoza nominalis an realis fuerit.................. 28

VI. De variis cognoscendi generibus : quid intersit inter discursum et intuitum................ 33

VII. De intellectus proprietatibus.................. 41

VIII. Quid sit absoluta scientia.................... 48

IX. De certitudine, scepticorum doctrina et methodi fine ................................. 54

X. De ideis fictis : qua Spinoza et Kantius sibi mutuo repugnent......................... 62

XI. De ideis falsis et intrinseca veritatis natura..... 70

XII. De ideis dubiis ; quædam circa definitiones præcepta............................. 74

XIII. Quomodo scientia rationaliter constituatur ; de usu experientiæ ........................ 77

XIV. Quem locum divina Cogitatio in hac logica obtineat.................................. 84

XV. Idearum et rerum congruentiam in duas sententias accipi, quæ ad unam reduci debeant.... 93

XVI. Conclusio.................................. 103

VERSAILLES, IMPRIMERIE CERF ET FILS, RUE DUPLESSIS, 59.